
TRAGOEDIÆ LUDIS AUTUMNALIBUS DATÆ.

AUTHORE
P. ANTONIO CLAUS
S. J. Sacerdote.

EDITIO SECUNDA.







Cum Licentia Superiorum.

Augustæ Vind. & Wirceburgi.
Sumptibus Martini Veith, Bibliopolæ.
Anno 1753.

[illegible]

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



PRæſentes Tragœdiæ, quas olim, cùm Rhetoricam docerem, ad anni litterarii finem variis in theatris exhibui, ſi tum placuêre, Actorum dexteritati, & ſpectatorum humanitati tribuo. Publico certè tam eruditi ſæculi judicio nunquam eas expoſuiſſem, niſi repetita, & importuna etiam multorum vota, & eorum præcipuè, quorum nutus veneror, Authoritas diu reluctantem impuliſſent. Judicârunt ii, cùm rariores ſint, qui ad noſtræ ætatis genium latinas Tragœdias ſcripsêre, hanc opellam meam

pluribus non ingratam, nec inutilem futuram: Antiquiorum enim vestigia, non tamen regulas, deserere ausus Petrum Cornelium, quem Tragicorum Principem Ruæus noster, assentiente litterato orbe, appellat, sequi conatus sum, etsi non passibûs æquîs.

Jambo utor simplici, & non rarò admodùm humili, qualem facilis natura effudit, non ars laboriosa parturiit: cùm enim Tragœdias has avido, & ad nova semper properanti spectatori, non meditabundo Lectori scripserim, de dictionis claritate potiùs, quàm sublimitate sollicitum esse oportuit. Neque eandem styli gravitatem, quæ Carmini Epico convenit, in quo plerumque solus Poëta loquitur, etiam

etiam in Tragico ſemper re-
quirendam Cornelius obſer-
vat, cùm ii, quos in ſcena lo-
quentes Poëta inducit, ipſi Poë-
tæ non ſint. Subjungo ſingulis
Tragœdiis quasdam obſerva-
tiones, in eorum potiſſimùm
gratiam, quos idem, qui me diu
exercuit, Theatralis labor
exſpectat.



Facultas R. P. Provincialis cum Privilegio Cæsareo.

CUm D. Martinus Veith, Bibliopola Augustanus denuo typis vulgare desideret *Tragœdias* à Patre *ANTONIO CLAUS*, idiomate latino conscriptas, ego Adamus Dichel Societatis JEsu per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate ab Adm. R. P. Nostro Ignatio Vicecomite Universæ Societatis Præposito Generali ad id mihi facta, eidem ad hanc 2dam duntaxat editionem facultatem impertio, simúlque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis prohibetur, ne dictum librum citra consensum Superiorum recudere, aut intra fines Sacri Romani Imperii inferre præsumant. In quorum fidem has ei manu propria subscriptas, & consueto Officii Sigillo munitas dedi.

Monachii 4. Decembris 1752.

(L. S.) Adamus Dichel.

Publ. Corn.
SCIPIO
Sui Victor.
TRAGOEDIA.
ARGUMENTUM.

PUb. Corn. Scipio vix viginti trium annorum juvenis, & jam summus Romani Exercitiûs Imperator Carthaginem novam, (hodie Carthagena dicitur) nocte unica expugnârat. Inter captos Regum, & Principum liberos eminebat Virgo, (Eucharim appellamus,) Alucio Celtiberorum Principi destinata Sponsa, *cujus ea erat forma, & indoles* (Verba sunt Livii,) *ut quacunque incederet, omnium oculos, & animos in se converteret.* Periculosum Juveni, & Victori Ethnico illicium, nisi Scipio non hostes modò sed & se ipsum vincere didicisset: Virginem quippe sanctissimè habitam non modò Alucio, etsi hosti, ultro restituit, sed lytrum quoque, quod pro filia Parentes obtule-

rant, pro dote Virgini adjecit. Vicit hac suî Victoria Scipio hostilem aliàs Alucii animum, qui illico cum delectis mille, & quadringentis equitibus Scipionis partes secutus, plures quoque Hispanos Principes in Romanorum Societatem pertraxit.

Titus Livius Dec. 3. L. 6.

Scena ponitur in nova Carthagine

PER-

PERSONÆ

Pub. Corn. Scipio.
Lucius Scipio. *Publii Frater natu minor.*
Cajus Lælius *Romanus in Exercitu Legatus.*
Mago *Dux Africanus; Carthaginis novæ gubernator.*
Eucharis *Magonis ex ſorore neptis.*
Alucius *Princeps Celtiberiæ.*
Spartus *Eucharis Frater.*
Perax *Numidarum Princeps, ſed ad Romanos transfuga.*
Phameas, Bitias } *Peracis Comites.*
Milites Romani, Africani, Hiſpani, Numidæ &c.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Scena exhibet forum novæ Carthaginis, in cujus medio erectum Scipioni tentorium, ad quod colecti milites Romani.

Publ. Scipio. Lælius. Lucius. Romanus Exercitus.

Scipio. Romane miles, cujus invicta manu
Unâ occupata nocte Carthago jacet,
Complenda nunc Victoria, & quas messuit
Hesterna nox, jam colligat lauros dies.
Arx una, turris unica est victis super,
Quò Mago se recepit, & adhuc insolens,
Nec clade tanta domitus insultat tibi:
Evertite receptaculum hostis ultimum.
Discàtque Pœnus, quid, etiam juvene Duce,
Veterana Latij militis possit manus.
Det impetendis mœnibus signum tuba.

SCENA SECUNDA.

Scipio. Lælius. Lucius. Perax.

Perax. Romane Ductor, impetum ad breves moras
Suspende. Parce sanguini, & , si quid Perax
Afris relictis, castra Romana impigrè
Duce te, secutus meruit hesterna die,
Ne sperne fidam dexteram, porro tuis
Servire promptam nutibus: nec invide,
Quam

Quam quærit hodie gloriam, & prædam tibi
Tuæque Romæ Sacra Numidarum manus.
Scipio. Princeps, fidelem, fateor, & fortem simul
Dignámque Romæ Socio herij nobis manum
Satis probasti, tibíque partem maximam
Victoriæ debemus: hinc, si cum tuis
Ad impetenda pariter arcis mœnia
Accedere cupis, junge te promptus meis,
Sic particeps & gloriæ, & prædæ fies.
Perax. Quin plura posco: Scipio, si me finas
Consilia cœpta prosequi, absque sanguine
Hostilis arx deveniet in nostras manus.
Hæc hora Romæ supplicem dabit Ducem
Carthaginis. Solus ego Magonem tibi,
Arcémque tradam solus. *Scip.* Et quô isthoc modô?
Pera. Mihi obtulit fortuna, quâ flectam Virum,
Satis potentem machinam: nempe unica
Captiva facilè capiet hostilem Ducem.
Scip. Captiva? Quæ verò ista? *Perax.* Præsentem dabo.
Tantisper arma cohibeas, donec redux
Hostis domandi clariùs pandam modum.

SCENA TERTIA.

Scipio. Lælius. Lucius.

Lucius. Sat grandia Perax spondet, absquo sanguine
Hostilis arx deveniat in Romæ manus?
Captiva capiat unica hostilem Ducem?

Læl.

Lœl. Fidisne verbis Barbari? Nullum times
Dolum latentem? *Scip.* Fidus est Romæ Perax.
Sat se probavit. Ipsus hesterna die
Vidi irruentem in media Pœnorum agmina
Strages cruentas edere haud ficta manu.
Primus suîs cohortibûs stravit viam,
Portísque fractis -- Sed quis huc infert gradum?
An fallor? An Dux hostium Mago subit?

SCENA QUARTA

Scipio. Lœlius. Lucius. Mago. Armiger Magonis cum lituo tamen.

Mago. Jure obstupescis Scipio, nec hoc in loco,
Nec tempore hoc Magonis, aut Afri Ducis
Præsentiam exspectaveras, nullâ prius
Vel postulatâ publicâ, aut datâ fide;
Sed nempe novi Patruum, & Patrem tuum,
Quàm strenuum inter arma, tam humanum domî,
Idque etiam in hostes: credo, te nihil Patri
Humanitate cedere; hinc tutus tua
Etsi hostis, & Dux hostium, castra subeo.
Priusquam ad arcis mœnia armatas manus
Conserere dabitur, colloqui, at soli, lubet.
Scip. Sibi gratulatur Scipio tanti Ducis
Præsentiam, cui publica haud opus fide.
Scit hospitales Scipio vereri DEOS. *

* *Innuente Scipione discedunt omnes ipse solus cum Magone tentorium subit.*

SCENA QUINTA.

Scipio. Mago.

Scip. Fare ergo, quænam cauſa te ſiſtit mihi?
Pacísne fers conſilia? Num ſupplex manum
Arcémque tandem Mago Romanis dabit?
Mago. Ne, Scipio, de me iſta. Magonis manum,
Dum ſuſtinere tela, dum ferrum poteſt,
Nemo videbit ſupplicem. Fateor tamen,
Etiam ad petendam gratiam a te, Scipio.
Impellor hodie, non tamen, qualem putas.
Non poſco pacem, nècque ſecurum mihi,
Meísve ab arce tradita egreſſum peto.
Juvat ruinis immori, & Carthagine
Cadente cadere, cadere ſi fatum jubet:
Sed alia cura pectus afflictum premit,
Qua liberari, Scipio, per te peto.
Scipio. Quænam iſta, pande, cura? *Mago.* Picturam vides,
Imaginémque Virginis. * Nunquam tibi
Hæc viſa facies? *Scipio.* Digna Principe facies,
Quamcunque referat. - Frontis heroum decus
Amazonum de gente demonſtrat ſatam.
Imò, nec impar Palladi ſpirat Deam,
Et forma tota comprobat divûm genes.
Mihi tamen non nota. *Mago.* Per Patrios Deos
Adjuro: pande vera: Num nihil tibi

* *Eucharis effigiem ſinu extrahit Mago, & Scipioni ſpectandam offert.*

De

De Virgine iſta? Nónne captivam tenes?
Scip. Utinam tenerem! at Patrios teſtor
Deos,
Captiva non eſt noſtra, quam præſens re-
fert
Pictura. Nunquam viſus hic vultus mihi.
Mago. Reſpiro. Grates, Scipio, tibi debeo.
Quod ſcire per te quæſii, ſcio. Vale.
Scip. Sed quæ, rogare liceat, hæc Virgo ſiet,
Pro qua tot ipſe Mago curas ſuſcipit?
Hæc ſola cauſa ex arce Pœnorum Ducem
Huc evocavit? *Mago.* ſola, quod mirum tibi
Forſan videtur; ſed meum- - Interea vale,
Arcem reviſo. *Scipio.* Vade, te brevì ſequar.
Sed non ut hoſpes. *Mago.* Hoſtis, aut hoſpes
veni,
* Te Mago nôrit excipere, prout venis. *

Clauditur tentorium.

SCENA SEXTA.

Mago. Armiger.

Exeunti Magoni ſe iterum jungit ejus armiger.

Mago. Liberiore mente jam' repeto Lares,
Dum vincla Romæ Neptis evaſit mea.
Armiger. Evaſit ergo libera? & quò? *Mag.*
Neſcio,
Quòd capta non ſit Neptis, hoc ſolùm ſcio.
Armiger. Quid ſi (Prohibeant omen infau-
ſtum Dii!)
Quid ſi perempta jaceat, hoſtili manu
Inter tenebras noctis, & clades feras
Mactata miſerè? *Mago.* ſit perempta, aut
perdita;

Modò

Modò capta non ſit: præda ne vilis ſequi
Romana caſtra debeat ſanguis meus.

SCENA SEPTIMA.

Mago. Perax. Armiger Magonis.

Perax. Subſiſte Mago paululùm, & vebrum unicum.
Mago. Quid Africano transfuga illuſtris Duci?
Quod nempe fecit ipſe, Magoni quoque
Suadere non verebitur? Patrios Lares
Duci Latino prodere, & caſtra hoſtium
Augere Pœno milite, exemplô ſuo?
Vade hinc. Ad arcis mœnia tibi colloquar,
At non, niſi ore ferreo. Hic calybs graves,
Meritásque de te, transfuga infamis nimis,
Malè derelictæ Patriæ pœnas petet.
Perax. Satis ſuperbè hæc dicta: ſed fors ferreum
Hoc os dolabrum molliet, dum adhuc calet. *

** Inuente Perace educitur à Numidis captiva Eucharis*

SCENA OCTAVA.

Mago. Perax. Eucharis. Bitias. Phameas, & alii Numidæ

Perax. Huc torva flecte lumina, & vultus truces,
Nôſti hanc puellam? *Mago.* Quid video? Patrii Dii!

Captámne video, & proditam Neptem meam?
Et, quod dolendum, transfugæ indigna manu?
Euch. Et quod dolendum, ſupplicem video Patrem?
Quid Mago tentas? Nominis tanti immemor
Deponis arma turpiter? An hoſti caput
Tuum, tuósque prodis? Ad caſtra Itala
Accedis? *Mago.* Huc nempe impulit me amor tui,
Et patria pro te cura. *Euch.* Virtuti tuæ,
Tuæque fidei creditas arces magis
Curare fas eſt. Repete, quid nectis moras?
Arcem relictam repete. Ductorem diu
Abeſſe miles Pœnus indignans feret.
Mago Et cui relinquam te Eucharis? *Euch.* Fatis meis.
Mago. In mancipatu deſeram Neptem unicam?
Meáque culpa perditam? Ah! cur te domi
Clauſam reliqui! Quare non primam omnium
Ad tutiora tranſtuli! cur non priùs
Deduxi ad Arces, antequam hoſtilis manus
Impeteret urbem! Mœnibus, & armis nimis
Confiſus amens perdidi te, & heu! tuos!
Quid jam Patri reſpondeam, aut ſponſo tuo,
Si te, mihi concreditam, ſibi repetant?

Euch.

Euch. Nil Mago fecit, quàm quod heroum Ducem
Facere decebat: timuit à Roma nihil,
Nec occupanda credidit primo impetu
Urbis potentis mœnia. Haud culpa est tua,
Si capta luget Eucharis. Fato imputa
Captivitatem Neptis, & huic transfugæ.
Hic portui jam proximam, & fidæ rati,
Quæ præbuisset Euchari fugæ locum,
Retraxit, atque his vinculis ornat manus.
Perax. Ita est: hanc poscit gloriam Perax sibi.
Mago. Quòd capere potuit fœminam? Est hæc gloria
Perace digna. *Perax.* Gloria hæc sola haud erit,
Quæro meliorem. Mago, quod dicam, excipe:
Si liberam optas Eucharim, arma ponito,
Arcisque claves tradito in manus meas.
Hac lege sola vinculis Neptem tuam
Solvisse tandem poteris, & proprium simul
Periculo subducere extremo caput.
Euch. Non, non. Pudenda sperne consilia Pater,
Nec liberandam fœminam tanto velis
Emisse pretio: nempe jactura tui
Nominis, & arcis creditæ fidei tuæ.
Perax. Arcem tueri, Mago, jam frustra paras.
Servare, quod Charissimum est, Neptem stude.

Euch. Servare pretiosissimam famam stude.
Nec de arce desperemus omnino Pater.
Sit victor urbis Scipio; necdum tamen
Invictus ipse est. Vivit Allucius adhuc,
Vivítque Spartus frater, & non hinc procul
(Mihi crede) sunt à mœnibus, uterque inclitas
Trahens phalanges militum, & Romæ pares
Ni orâcla fallant omnia, & fallant Dii;
Carthago quamvìs victa victorem ipsius
Victoris hodie cernet. *Mago.* Hæc quidem precor.
Perax. Hac spe insolescit capta? præveniam minas.
Levare ferrum milites, nutus meos
Servate proni: genua jam flecte Eucharis,
Collúmque præbe *. *Mago.* Proditor! Quid tu Eucharim?

**dum ferrum in Eucharim levat Perax, etiam Mago gladium stringit, & se mutuo petunt*

SCENA NONA.

Scipio. Mago. Perax. Eucharis. Comites.

Mago & Perax ad tumultum è tentorio erumpit Scipio.

Scipio. Quis hic tumultus? Mago quid? vel quid Perax?
Perax. Permitte magne Scipio, quod in rem tuam,
Tuæque Romæ socius, & amicus paro.
Jam Mago stans delibera, utrum mavelis:
Arcisne claves tradere in manus meas,
Anve experiri, quantum in hanc Neptem tuam,

Meam-

Meámqne captam victor iratus queam.
Memento, quantúm juris habeam in Eucharim,
Vitæ, necísque dominus. Hæres? Ocyus
Decerne, vel mox ſanguini immerſam ſuo
Neptem videbis *. *Scipio.* Siſte! quid Princeps paras?
Movere bella fœminæ, aut per fœminam
Devincere arces, hócne Romano putas
Heroe dignum facinus, aut dignum Duce,
Socióque Romæ? Mago, ſecurus redi,
Arcémque repetens conſule Hiſpanos Duces,
Et Africanos milites, num ſe pares
Armis latinis ſentiant, atque ultimum
Mox experiri mœnium aſſultum velint:
Númve arce nobis tradita Romæ, & meæ
Clementiæ confidere. Horas quattuor
Deliberanti dabimus, armis interim
Utrinque preſſis. Cæterùm, quidquid voles,
Statuésque demum; ſive pax tibi placeat;
Sive arma potius eligas, nihil tuæ
Nepti timendum crede. Cum ſolis viris
Pugnare ſuevit Scipio. Tuta interim
Tentoria mea magnanima Princeps ſubi.
Hanc in meam recipio tutelam, Perax.
Euch. Mago memento Patriæ, plusquàm mei.
Mago ad Peracem. En Proditor! ab hoc diſce virtutem Duce

Perax iterum Euchari intentat ferrum quem Scipio cohibet.

SCENA DECIMA.

Perax. Phameas. Bitias. Numidæ.

Perax. Quid? Scipio eripit Eucharim meam mihi?
Hoc nempe fidei præmium, hoc pignus fero?
Palam audet exprobrare consilia mea,
Arcísque captæ gloriam, Duce hostium
Præsente, condemnare? Captivam quoque,
Quam Jura belli, & gentium, & victoria
Mihi tradiderunt, eripit? *Pham.* Nempe hoc solet
Plerumque Roma facere: Sociis exteris
Cedit laborem; gloriam, & prædam sibi
Reposcit. Ipsos Principes junctos quidem
Nominat amicos; at tamen servos putat,
Et tractat, ut mancipia. *Perax.* Jam agnosco, Dii,
Jam derelictæ Patriæ pœnas luo.
Bitias. Dixisse, Princeps, liceat: haud capio tuæ
Arcana mentis, nec quid agitetur hodie,
Satis queo dispicere. Credebam hactenus
Te amore captum Virginis. *Perax.* Amavit utique,
Et deperivit Eucharim dudum Perax;
Ingrata quamvis spreverit amores meos,
Elegerîtque Alucium. Imò hæc unica
Me causa jussit castra Romulidum sequi:
Justus furor in Alucium, & spes proxima,

Captâ

Captâ brevì Carthagine Eucharim quoque
Meam futuram. Præmium belli unicum
Hanc expetebam Virginem. *Bitias*. Fuit utique,
Cur reddidisti? *Perax*. Reddidi? an non abstulit
Nil cogitanti Scipio? *Pham*. Et quidem modo
Tibi non ferendo. *Bitias*. At quare Magoni quoque
Captam offerebas, si modò claves tibi
Cessisset arcis? Cùrve, quod miror magis,
Ipse ausus irritare captivam truci
Vultu minaris vulnera, catenas, necem?
Ignosce Princeps, candidè dico: malè
Amare nôsti. *Perax*. Scilicet præceps furor,
Majórque amore justa vindictæ sitis
Hoc occupârant pectus. Audisti satìs,
Quo me superba Virgo vultu exceperit,
Dum, victor etsi, supplices tamen preces,
Et vota captæ detuli? Audisti simul
Quêis Mago me lacessit verbis prior.
Hæc concitârant pectus, omnis mox amor
Cessit furori, jam nihil avebam amplius,
Quam vindicare injuriam, & spretas faces,
Nempe ex amore Principum spreto levis
Est ad furorem transitus. *Pham*. Quàm vellem ego,
Ut nùnquam amasses. Gloriæ, & famæ tuæ
Quantùm una nocuit fœmina; hanc propter fidem



Et pacta rumpis fœdera, & spretis Afris
Fis transfuga, atque servus Ausonii Ducis,
A quo tamen pro prœmio probrum refers.
Patiêris hæc inultus? & adhuc Romam amas?
Perax Æterna testor Numina, & juro stygem.
Aut Scipio ablatam Eucharim reddet mihi;
Aut - - Sed premamus interim irarum faces.
Venite amici. Tutior nobis locus
Quærendus est. Consilia molimur nova.

Scena exhibet conclave in Magonis ædibus jam à Scipione occupatis Ubi in mensa videntur exposita pretiosa vestes & varia cimelia.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Eucharis. Lucius.

EUch Hæc Scipio mihi? *Luc.* Cuncta tibi reddi jubet,
Quæcunque captæ spolia detraxit rapax
Dextra Numidarum. Pariter his in ædibus
Jubet quietam vivere. & tanquam in domo
Parentis imperare. *Eucb.* Nimia Scipio
Humanitate fœminam captam excipit,
Quam ab hoste non sperare potuissem. *Luc.* Obsecro,
Omitte verbum hoc Virgo, nec fratrem meum
Hostem vocato. Principem tantæ indolis
Odisse nescit Scipio. *Euchar.* Nec ego (fateor)

Hostis

Hostis vocarem nomine, nisi - - *Luc.* Quid nisi?
Eloquere secura. *Eucb.* Nisi Romanus foret,
Gentisque Ductor Italæ. Hoc solùm mihi
In Scipione displicet, origo Itala,
Et Roma Patria: námque Romanum genus
Non potero non odisse. Da veniam, rogo,
Verbo insolenti; non id hanc sortem decet;
Sed nempe, quid non pectore extorquet dolor?
Captiva Scipionis invita haud forem;
Captiva si non pariter Italiæ forem.
Lucius. Communia hæc sunt odia; sed facient Dii,
Tempúsque, talem ut exuas mentem breví,
Postquam latinos melius agnôris viros.
Adhúcne desunt aliqua? Princeps impera.
Reddetur illico, quidquid ereptum tibi est.
Eucb. Satis est. Quod unum perditum luxi hactenus,
Pignus recepi. Scipio hac in arcula
Mihi redonat, quidquid optabam unicè.
Lucius. Mihi, tibíque gratulor. Porro indica,
Quid imperes. *Eucb.* Non imperare me decet.
Rogare si quid liceat, hoc solum rogo:
I, nomine meo gratias fratri refer.

SCENA SECUNDA.

Eucharis sola.

Eucharis ex ... deprom... annulum sponsalitium & effigiem Alucii.

O Chara sponsi pignora! olim gaudii;
Sed nunc doloris intimi testes pii!
Vobis, amata munera, loquatur meus
Ter castus equidem, sed parùm felix amor.
Imago chari Principis! Alucii mei
Unum superstes munus. Ah! quonam Deos
Læsisse potui crimine, ut memet Patri,
Sponsóque raptam tradere ausint hostibus.
Et, quod gravissimum, hostibus Aluci tuis?
Quo scelere merui hæc fata? Num forsan Polo,
Diisque noster displicet tam insons amor?
Vos posco testes, quotquot è cœlis Dii
Secreta cordûm cernitis; an unquam mala,
Minúsque pura pectus hoc arsit face?
Sola ad Parentum jussa tibi, Princeps, meam
Puella Veneris nescia obstrinxi fidem.
Primos amores corde virgineo Patris
Jussa excitârunt, quos fovit virtus tua,
O Sponse, Sponsa faustiore dignior!
Cur ergo damnant astra tam pias faces,
Sponsámque captam separant Sponso suo?
Quid chare Princeps, senties, ubi tuas
Deferet ad aures fama fortunam meam?
An fata forsan tristia ignoras adhuc?
Roma, ô Aluci! Roma captivam tenet,

Cujus

Cujus amore captus es, & hæres adhuc?
Necdum coacto milite, & Celta manu
Romana castra, & mœnia irrumpis ferox,
Sponsámque captam vindicas?

SCENA TERTIA.

Eucharis, Lucius.

Luc. - - - Fero nuntia,
Ut spero, non ingrata: jam frater tuus
Est in propinquo. *Euch.* Spartus? *Luc.* Ut sibi liceat
Urbem subire, & visere sororem suam,
A Scipione publicam exposcit fidem.
Pronúsque Scipio annuit. *Euch.* Solus, refers,
Suppléxque Spartus venit? *Luc.* Adducam ocyus.

SCENA QUARTA.

Eucharis sola.

Quid hoc Dii? Sic solus & supplex venis
O Sparte? Non cum Alucio, non cum viris,
Armísque? Quid jam cogitem? Sponsus sinit
Se præveniri à fratre? Vel ubi denique
Alucius meus hæret? An forsan timor
Juvenile fregit pectus? an Romam pavet,
Et Scipionis arma? Tot dudum viris

Concurrere ausus metuit imberbem Ducem?
Aut cur moratur litteris dudum meis
Carthaginem evocatus? an forsan - - Dii
Avertite nefas! fors Alucius suum
Mutavit animum; dum meam sortem audiit
Mutatam? Heu! Quid suscipere? nempe Eucharim
Alucius contemnit, Itali Ducis
Jam vile spolium, quale me hæc fecit dies,
Captámque dedignatur. Horrore infremo.
Alucius, heu! Alucius me despicit!

SCENA QUINTA.

Eucharis. Lucius. Alucius sub nomine & habitu Sparti.

Lucius. Cernis sororem, cernis & fratrem soror.
Sed ne prematur mutuus animi dolor,
Recedo. Liber pateat alloquio locus.

SCENA SEXTA.

Eucharis. Alucius.

Aluc. Dilecta Princeps! Eucharis mea! *Euch.* Dii!
An fallor? anne Alucium cerno meum?
Aluc. Cave nomen istud proferas. Fratrem voca,

Et

Et te sororem finge non Sponsam meam.
Euch. Sponsam ergo dedignaris, & mei pudet
Alucium, dum serva sum Itali Ducis?
Aluc. Ah! parce Princeps tale quid de Alucio
Vel suspicari. Téne dedigner mei
Pars prima cordis? alia succedet dies.
Qua dulce Sponsi nomen optabo palam;
Nunc ratio suadet tegere nomen, & genus.
Euch. Parebo monitis. Interim dic: quinam ades?
Suppléxne, númve armatus? *Aluc.* Armatus equidem
Cum classe veneram impigra, ut Carthagini
Auxilia ferrem promptus; at, fata aspera!
Carthagini jam proximus captam audio
Urbem, & quod urbe charius, Sponsam meam.
Euch. Nempe unica (quis crederet?) nocte unica
Romanus urbem cœpit, & memet simul.
Alucius Quid ergo malefaustus agerem, quid consilî
Caperem, diu hæsi incertus. *Euch.* Armatam manum
Decebat ostentare. Dudum dexteram
Alucii Roma metuit, & amant Afri.
Aluc. Urbe occupata, dextera hæc poterat parùm,
Captáque pariter Euchari audebat nihil;
Ne provocaret graviùs in charum caput
Victo-

Victoris iram. Tutius visum fuit,
Adire, quod jam facio, Romanum Ducem,
Et supplicem me sistere; alieno tamen
Sub nomine, atque veste: nempe me tuum
Fingo esse fratrem. Sydera secundent dolum.
Euch. Ergóne supplex Italo civi fiet
Princeps Iberus? Genua curvabit hodie
Duci Latino Alucius? *Aluc.* Chara Eucharis,
Ut fatear, ipsus credidi, hoc nunquam fore
A me impetrandum. Nulla me certè hostium
Vis, nulla fata flecterent; nisi tua
Id imperaret, maxima ô Princeps, salus.
Pro te nihil recuso: tantùm istud rogo:
Alucium ne nomines unquam palam.
Fratrem tuum me finge, qualem Scipio
Me credit. *Euch.* Et quæ fingere hæc ratio jubet?
Aluc. Sat ipsa nôsti: Alucii nomen nimis
Hostile Romæ est, brachium hoc notum nimis.
Fors vindicaret Scipio in capite meo
Tot Italorum sanguinem, qualem hæc manus
Non parca fudit, & (nisi fatum invidet)
Profundet etiam imposterum. *Euch.* Ah quali tuum
Quali perîclo exponis ô Princeps caput?
Aluc. Pro te perîcla spernere hoc pectus solet.
Quamquam perîclum est tenue: dum fratrem tuum

Me

Me Scipio esse credit illusus dolo.
Hunc ergo adibo : munera, & largas opes,
Et Regna, si vult, integra lubens offero ;
Dum te solutam vinculis reddat mihi,
O Sponsa longè charior regno integro.
Euch. Alucius pro me ista? *Aluc.* Quin lubens dabo,
Si sit necesse, sanguinem. Interea vale,
Cœlúmque cœptis advoca. *Euch.* Alluci vale.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Scena exhibet in Magonis nuper aditibus aulam splendidam, unde aditus ad conclave Scipionis, & ad vicinum Eucharis.

Lælius. Lucius.

LAElius. Ut fatear, equidem plurimùm fratris tui
Humanitatem laudo, qua captam suam,
Fratrémque captivæ excipit; timeo tamen,
Ne forsan ultra - - timeo - *Luc.* Quid? *Læl.* Subin alius
Humanitatis nomine affectus latet.
Luc. Quis ille? *Læl.* Dixi, timeo : nempe humanitas
In juvene, qualis Scipio, erga fœminam
Facilè in amorem transit. *Luc.* An, ne fors amet
Et captam, & hostem Scipio, times? *Læl.* Scipio
Et juvenis est, & Victor : hoc satis mihi.

Lucius.

Lucius. Quid ſuſpicaris obſecro? num hora
unica,
Qua viſa fratri eſt Eucharis, tantas faces
Queat excitare? *Lal.* Nempe non noſti improbas
Vires amoris: corda momento rapit.
Scintilla ſi vel unica incautum ſubit,
Penetrátque pectus, hæret, & nimium potens
Funeſta mox incendia, & flammas parit.
Si Scipionem volumus, & Romam ſimul
Amice, ſalvos, ſupprimere amoris faces
In tempore laboremus. *Luc.* Et quonam
modô?
Lælius. Si ſubtrahatur pabulum igni. Si
procul
A fratris oculis Eucharis fiet. At prius
Age, fratris animos ipſus explora. *Lucius.*
Veni,
Accedimus. Conſilia mea jungam tuis.

Scipio conſidet in ſolio, & circumſtantibus liſtoribus, cum laureatis faſcibus, & apparatu, quo externus Principes ad alloquium admittebant Imperatores Romani.

SCENA SECUNDA.

Scipio. Lælius. Lucius. Varro. Comitatus.

Scipio. Uterque adeſtis tempori. Spartus petit
Nos alloquendi copiam. Varro mone,
Aditum patere Principi. *Luc.* An ſoror quoque
Cum fratre præſens aderit? *Scip.* Hanc in
publicum
Prodire, ſuetus Virgini pudor vetat. *

SCENA

SCENA TERTIA.

Scipio. Lælius. Lucius. Alucius. Comites.

Aluc. Magnanime Victor, cui precor dignam Patrum
Virtute ſortem, ſupplicem ad pedes tuos
In me Parentem regium, & nulli hactenus
Curvata genua Principum inflecti vides.
Ne deſpice pias regiæ ſtirpis preces.

Alucium etiam ſequuntur Comites variæ dona manibus præferentes.

Scipio. Effare, quidnam flagitas? Si quid tamen
A me impetrare poſcis, aſſurgas, velim.
Aluc. Auri talenta mille, & arma Celtica,
Tuóque dignam capite laurum gemmeam
Ne reſpuiſſe Scipio velis, rogo.
Unum repoſco: Filiam reddas Patri,
Fratri ſororem. Sin nimis leve hoc lytrum
Tibi videatur; poſce, quod poſcis, dabo.
Scipio. Precibus faverem promptus: ultro Filiam
Patri; & ſororem redderem fratri ſuo;
Si Virginis captivitas tantùm meo
Penderet ex arbitrio; ſed de his prius
Interroganda Roma: nam ſoror tua
Captiva Romæ eſt. *Aluc.* Scipio modò annuat,
Non improbabit Roma, quod victor probat.
Scipio. Non improbabit victor, ubi Roma annuet.

Romam

Romam ad ſenatum litteras Princeps dato,
Si vis ſororem liberam, noſtra interim
In urbe, vel, ſi placeat, in caſtris mane.
Aluc. An reſpues hæc munera? *Scipio.* His Romæ tibi
Quæras Patronos. Cæterùm ſalvam Eucharim
Sub Scipionis crede tutela. Nihil
Unquam illa tantâ Principe indignum feret.
I, Virginem ſolare, quo potes modo,
Fratri ad ſororem liber acceſſus patet.

SCENA QUARTA.

Scipio. Lælius. Lucius.

Lucius. Quid frater hæres? Redde captivam obſecro.
Auri talenta mille ſunt ſanè lytrum
Non reſpuendum. Sat utique eſt notum tibi;
Stirps Scipionum gloriâ, & famâ fuit
Hucusque dives; ſed tamen tenues opes
Hæc fama peperit. Conſulas, ſi non tibi,
Saltem familiæ pauperi. *Scip.* Eſt dives ſatis
Stirps Scipionum gloria, & fama, hactenus
In orbe parta. *Lælius.* Gloriæ conjunctæ opes
Oberúntne? Númnè fœminam unam præferes
Tantis talentis? *Lucius.* Si tuo forem loco,
Uno

Uno talento fœminas omnes darem.
Scipio. Interroganda Roma. Si Roma annuat.
Captiva fiet libera. Secùs non licet.
Lælius. Interroganda Roma, num Victor queat
Captam puellam reddere? An nescis, tua
Quæ sit potestas? *Scipio.* Scio; sed & alia ratio
Sparto petenti reddere sororem vetat.
Læl. Quænam illa? si rogare te nobis licet?
Scipio. Suo patebit tempore. *Lucius.* Imò, jam patet.
Arcanus haud est, quo malè flagras, amor,
Furórve: nempe Scipio à capta sua
Jam captus ipse, perdere, quod amat, timet,
Atque retinendæ Virgini quærit moras.
Hæc nempe tota ratio. *Scipio.* Verbum tam insolens
Vindicta digna exciperet; elapsum nisi
Ex ore fratris crederem incauto nimis.
Hoc pectus uni gloriæ, & Romæ sacrum,
Amore captum fœminæ quisquam afferat?
Et fœminæ captivæ? & hostis nominis
Romani? Adesse huc Eucharim, & Spartum date,
Tunc judicare poteritis; num Scipio
Amare præter Patriam quidquam queat.
Lucius. Vis evocari utrumque? *Scipio.* Seclusâ morâ.

SCENA QUINTA.

Scipio solus.

Captiva dimittatur. Est fixum modò:
Captiva dimittatur.-- At, quò libera
Abibit hæc tam nobilis Virgo? - - procul
Nempe hinc abibit, & oculis forsan meis
Nunquam ampliùs videnda. - - Quin, Alucii
(Horrore tremit animus) Alucii domum,
Thorúmque poscet Eucharis. - - Sed quid meâ
Tandem interest, quò vadat? Aut cur sic gemit,
Motúmque pectus infremit? -- Dii boni!
Num vera dixit frater? An captivam amo?
Meliora Superi! Scipio nequit quidpiam
Amare præter gloriam, & Patriam suam.
Captiva dimittatur. An Patris domum,
Aluciive repetat - - Iterum Alucii
Ad nomen horret animus, &, quó nescio.
Dolore premitur. - - Quid, boni Superi! Quid hoc?
Alucium dum nomino, pectus fremit.
Nempe hostis est Alucius Patriæ meæ;
Hinc pectus hoc, quod Patriæ est amans, fremit
Ad nomen hostis Patriæ. - - Imo Patria
Remittere hosti liberam Sponsam vetat.
Est detinenda capta. Sic Roma exigit
Est detinenda, donec - -

SCENA

SCENA SEXTA.

Scipio. Eucharis. Alucius.

Aluc. - - Ad jussa adsumus.
Licétne jam sperare ? num tandem lytrum
Pro Virgine acceptabis; & - - *Scip.* Reddam tibi
Princeps sororem liberam, & natam Patri.
Priùs tamen fatere; nonne Alucio
Desponsa soror est? *Aluc.* Mutuo assensu Patrûm.
Scipio. Non hanc meretur gratiam Patriæ meæ
Juratus hostis: Reddere huic Sponsam, nefas.
Hæc fœdera abrumpenda. Alucium priùs
Ejuret, & sponsalibus pactis priùs
Solenniter renuntiet soror tua,
Si vult abire libera, & reddi Patri,
Priùs revocet Alucio datam fidem,
Hostémque Romæ dicat etiam hostem suum.
Suade sorori frater, ut legem impleat
Victoris: hanc nisi impleat; mea maneat
Captiva, Jam delibera Virgo. -

SCENA SEPTIMA.

Eucharis. Alucius.

Eucharis. — — — *Eucharis*
Si vult abire libera, & reddi Patri,
Priùs revocet Alucio datam fidem,
Hostèmque Romæ dicat etiam hostem suum!
Audivit hæc Alucius? *Aluc.* Utique audiit?
Euch. Et quid reponit? lentus, ac stupens silet?
Aluc. Ah chara Princeps! libera ut tandem fies,
Qûid non decebit facere, vel quid non pati?
Sileo: recedo, quique supremus mei
Amoris est effectus, ipsus suadeo,
Alucio ut renunties. Vale Eucharis
Vale alma Princeps, libera ad Patrem redi,
Oblita nostri, & (quando sic Victor jubet)
Renuntia sponsalibus pactis: fidem
Abrumpe, quamvis testibûs Diis datam:
Odisse dic te Alucium, & solam modò
Amare Romam, & fortè Romanum ducem.
Vale. Mea haud es ampliùs, quamvìs tuus
Ego sim futurus semper. *Euch.* Alluci! hæc mihi?
Sic ergo sponsam deseris? *Aluc.* Victor jubet,
Atque potior Victore libertas tua,

Emen-

Emenda nostra morte, quæ miserum brevi
Sed non inultum perdet. *Euch.* Absistas, rogo,
Verbis nefastis. Méne credis tam impiam,
Tam perfidam; ut, quam testibus Diis fidem
Tibi obligavi, rumpere aut possim, aut velim?
Credísne, quòd tam chara libertas mihi,
Ut hanc velim redimere jacturâ tui?
Non, non. Latina potiùs, etsi animus fremit,
Captiva moriar, & vel in vinclis tua.
Aluc. Ni vincla Princeps exuis, vincla induam
Etiam ego. Tecum carceri inclusum mori
Juvabit. *Euch.* Ah depone non dignos tua
Virtute sensus: non mori, non vincula
Induere fas est Principem: est animis opus,
Armísque. Nunquid arma jam desunt tibi?
Nullósne Celtiberia enutrit viros?
Age, arma Princeps collige, armata manu
Est vindicanda Sponsa: per strata hostium
Cadavera, & calcata Romani Ducis
Superba colla, quærito Eucharim tuam.
Aluc. Ibo, ibo, Princeps. Patriam totam excito
In bella mecùm, nécque desistam antea,
Quàm vel revulso carcere & strato Duce
Scipiade Sponsæ vincula abrumpam pius;
Vel, si hoc negatur, pectore effosso effluat
Meus inimico sanguini immistus cruor.

Euch. Abi ergo. Nullum dico tibi, Princeps, Vale,
Quando redieris Victor, audies: Ave.

SCENA OCTAVA.

Eucharis. Alucius. Perax.

Perax. Ignotus etsi, sat tamen notum alloquor.
Nam fama Sparti nomen ignotum diu
Nulli sinit latere. *Euch* Quid tu perfide
Impostor, atque transfuga? *Aluc.* An Perax hic est
Cujus furori debeo sororis meæ
Captivitatem? *Perax.* Fateor, erravit, malè
De te, tuisque meritus hac Perax die;
Sed damna compensabit illata hactenus
Hæc ipsa dextra: liberam Perax tibi
Sistet sororem, si cupis, adhuc hac die;
Ringente Scipione. *Euch.* Quæ subita tuum
Mutavit animum causa? *Perax.* Non unam pete:
Et dolor, & ira, gloria, & justus pudor,
Amor, furórque stimulat hoc pectus simul.
Aluc. Amor, furórque? *Perax.* Plura mox, Princeps, tibi:
Nunc tempori parcamus. Arcana unico
Expono verbo cæpta: fugiendum Euchari:
Fugæ locum, modúmque monstrabit Perax,
Tutámque ducet Eucharim ad Sparti rates.
Nun-

Nunquid rates in littore propinquo tenes,
Et expeditas? *Aluc.* Unicam navem appuli.
Perax. Et navis unica sufficit. Sequere modò.
Hæc dextra tradet Eucharim in manus tuas.
Hodierna lux ostendet, an spretus Perax,
An charus adeò Alucius sit dignior
Tua sorore. *Aluc.* Dicta si ritè impleas,
Debebo, fateor, plurimùm Perax tibi.
Euch. Etiam Eucharis debebit. At quonam modo
Implenda cœpta? *Perax.* Scipio venit, cedite. *

* *Eucharis & Alucius se recipiunt ad proximum conclave*

SCENA NONA.

Scipio. Perax. Satellites Scipionis.

Scipio. Perax, doli struuntur, at fraudes malæ
Brevì patebunt. Sistito hic mecum. Nova
Et mira cernes. Frater adduc hospitem
Ad Eucharîs conclave. Vos ad limina
Hîc state prompti, & nutui intenti meo.
Perax. Quid agitur ergo? Fortè quispiam dolo
Eripere tentat Eucharim manibus tuis?
Scipio. Dixi: patebit illico infelix dolus.

SCENA DECIMA.

Lucius deducit Spartum ad conclave Eucharis, in quo & Alucius. *Hic innuente Scipione Alucius à Satellitibus circumdatus educitur, & Eucharis conclave clauditur.*

Scipio. Perax. Lucius. Spartus. Eucharis. Alucius. Comites.

Lucius. Accede Princeps liber accessus patet
Spartus. Salvere Spartus Eucharim jubet; licèt
In sorte misera. Quid stupes? Fratrem soror
Non ampliùs cognoscis? aut quid me fugis?
Et ô Dii! num Alucius præsens mihi?
Captúsne Princeps pariter in Romæ manu es?
* Quid ista consternatio? *Scipio.* Decebit soror,
Soli loquaris, cedo.

SCENA UNDECIMA.

Scipio. Perax. Alucius. Comites. &c.

Scipio. — — Tu verô interim
Iberiæ Dux maxime, veniam dabis,
Si non, prout decebat, ignoto utpote,
Habuit honorem Scipio. Errorem meum,
Studebo compensare, quo possum modo,
Custodiámque corporis tanto Duce
Assigno dignam. *Aluc.* Méne captivum abstrahis?
An non dedisti publicam mihi fidem,

Ut tutus Urbis mœnia ſubirem? *Scipio.* Scio,
Memet dediſſe publicam Sparto fidem;
At neutiquam hoſti Alucio, à nobis nihil
Tuo petebas nomine. Interim tamen
Tibi providebit Varro de æde commoda.
Nunquid, Perax, ſat mira vidiſti, & nova?
Perax. Tibi, mihíque applaudo de viſis modò.

SCENA DUODECIMA.

Perax. Phameas.

Perax. Ergo ſub habitu hoc, atque Sparti nomine
Alucius latebat? *Pham.* O quàm in tempore
Detexit iſta providus pro te polus;
Dum jam parabas reddere in manus tui
Rivalis ipſus Eucharim. *Perax.* Grates Diis
Summas, amice, debeo. Favent meo,
Favent amori. *Pham.* Sed quid agitandum modò?
Non liberabis Eucharim è Romæ manu?
Perax. Mutata ſcena conſilia quoque exigit
Mutanda. Sequere. Jam ſtruo fraudem novam.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Spartus. *Eucharis.*

SPart. O me nefaſta littori appulſum rate!
O vana vatum oracula! ô fallax polus!
Dum fore ſororem liberam adventu meo
Mendax ſpopondit Delius: Jam proch dolor!
Jam cuncta cerno perdita adventu meo.
Alucius quoque proditus in hoſtis manu,
Meâque culpa captus in vinclis gemit.
Quid nunc opis, quid conſilî ſupereſt ſoror?

SCENA SECUNDA.

Perax. *Spartus.* *Eucharis.*

Perax. Conſilia ſi non reſpuis, Perax, dabit,
Opémque promptam, quam priùs falſo obtuli,
Nunc veriori defero Sparto, & tibi
O Virgo. Reddam liberam in fratris manus,
Modò non recuſes ipſa præeuntem ſequi.
Adhuc parata cuncta, tutáque omnia.
Nec ſuſpicatur Scipio fugam, aut dolos
Per

Per me ſtruendos. Si annuis - - *Euch.* Sequar, Perax.
Tecum ibo prompta; ſi ſimul mecum facis
Alucium ire liberum: absque Alucio
Hinc non abibo. Vincla num Sponſus ferat,
Quæ fratris error, & amor injecit meus;
Et nunc relictô turpiter ſponſô, fugam
Maleſida ſponſa capiat? *Spart.* Hunc ipſum meo
Errore captum doleo; nec dignum ſatis
Fideli amico munus explebo; niſi
Alucium quoque liberem ex hoſtis manu.
Perax. Alucius ſibi conſulat quoquo modo.
Tu Virgo me ſequare. Si ſponſum petis,
Fors digniorem Alucio hæc dabit dies.
Euch. Nempe hunc Peracem? Proditor! adhuc improbos
Narrare amores Euchari audebis? procul
Faceſſe. Præſtat Euchari in vinclis mori
Cum Alucio; quàm transfugæ infami manu
Se liberatam cernere. *Spart.* Soror, obſecro,
Compeſce mentis impetum.

SCENA TERTIA.

Perax *ſolus* -- -- -- Ingrata! hæc mihi?
Palámque? *Præſtat Euchari in vinclis mori*
Cum Alucio, quàm transfugæ infami manu
Se liberatam cernere! Hæc ego audio,

Et

Et adhuc amare pergo? - - Sed, quid Eucharim
Accuſo? Solus obeſt Alucius mihi.
Hic, hic prior perdendus eſt, &c. - Sed quis huc?

SCENA QUARTA.

Scipio. Lucius. Perax.

Scipio. Nôſti Perax, Alucium in noſtra manu
Hærere captum: porro quid agendum putas?
Perax. Hærétne dubius Scipio? In vinclis tenes
Hoſtem Latini nominis acerbiſſimum,
Et vindicare Patriam ceſſas adhuc?
Ductor Latinus exere ultricem manum,
Eſt vindicandus denique Auſonius cruor,
Alucius quem barbara effudit manu.
Sunt vindicandi Patris, ac Patrui tui
Manes, cruenta cæde mactati ſtygi.
Eſt vindicanda injuria, & fraus, qua tibi
Illuſit hodie, nomine effićto improbè.
Mortem hæc merentur crimina: hæc cuncta expiet
Alucii cervice reſciſſum caput.
Scipio. Cruenta ſuades. Principi necem inferam?
Quid miſera dicet Eucharis? *Luc.* Frater, alia,

Nobis-

Nobisque longe utilior occurrit mihi
Vindicta: nempe Alucium coge, ut potes,
Auro redimere debitum morti caput.
Talenta mille si exigas, libens dabit
Pro propria vita, & capite poscas quoque
Auri talenta mille pro capta Euchari:
Si pendere ista Spartus haud velit; dabit
Mihi crede, dabit Alucius, & omnes opes
Profundet ultrò, ut liberam sponsam suam
Queat obtinere. *Perax.* Alucium sponsum vocas?
Patiêris ergo Scipio captam tuam
Sponsum sibi seligere arbitriô suô?
Et nubere hosti Patriæ, ac Romæ tuæ?
Hæc tu probabis fœdera? Ita amas Patriam?
Scipio. Nunquid, Perax, hoc Patriæ exposcit salus,
Amórque Romæ, ut Virginem hanc Alucii
Manu, thoróque separem æternùm? *Perax* Ambigis?
Quin plura poscit publicum Romæ bonum:
Ut nempe jungas Eucharim tali viro,
Qui sit Latino nomini, & Romæ favens.
Habet Eucharis potentem in his oris Patrem,
Habétque amicos Principes: horum omnium
Vires, & arma Scipio adjunget sibi,
Si Romæ amico Virginem jungat viro.

Scipio.

Scipio. Sat apta dicis. Sed quis adiget Eucharim
Ad deferendum Alucium, quem amat unicè?
Perax. Ignosce, magne Scipio, haud nôsti satis.
Quæ fœminis sit indoles. Mutabilis.
Et varia semper fœmina facilè induit,
Et facilè amores exuit, ubi se nova,
Et melior offert flamma. Crede Scipio:
Brevì æstimabit minùs Alucii thoros.
Ubi Latinos Eucharis nôrit duces.
Scipio. Credisne quemquam ducibus è Latiis minùs
Huic displicere Virgini? tamen mihi
Tam pertinaci mente restitit hactenus,
Datámque Sponso rumpere recusat fidem?
Perax. Ut Virgo pactam sponte disrumpat fidem
Honor, pudórque prohibet. Infida Eucharis
Dici erubescit: propriæ famæ cavet
Generosa Princeps; at ubi vis accesserit,
Et se coactam lege Victoris queat
Puella dicere; crede, Alucium parùm
Virgo dolebit perditum. *Scipio.* Cogi cupit?
Cogatur. - - At, quò rapior & præceps trahor!
Occurrit alius, & melior animo modus.
Adesse fac Alucium frater. *Luc.* Dii
Næ Barbari consilia succendant faces
Periculosas gloriæ fratris, vetent.

SCENA

SCENA QUINTA.

Scipio. Perax.

Perax. Quis Scipioni melior occurrit modus ?
Scipio. Brevì patebit. Interim, quæſo, Perax
Loquare clariora. Quisnam ex Italis
Ducibus placeret Euchari ? *Perax.* Quem deſtinat
Victor, placere debet: à manu tua
Accipere captam, quem jubes, ſponſum decet.
Scipio. Quem judicas digniſſimum Eucharîs manu?
Perax. Cujus probata ſit tibi, & Romæ fides:
Námque intereſt hic plurimùm Patriæ tuæ,
Si plura me vis pandere - -

SCENA SEXTA.

Scipio. Perax. Lucius. Alucius.

Luc. -- -- -- Ecce Alucium,
Quem huc advocari juſſeras. *Scip.* Princeps, meum
Memento te captivum, & hoc caput tuum,
Vitámque jam pendere ac arbitrio meo.
Audi modò, quam pono legem: Ni ocyùs

Renun-

Renuncies ſponſalibus cum Virgine
Priùs initis, & Jure decedas tuo;
Mox ſenties, quid Victor iratus queat.
Aluc. Eripere vitam Victor iratus poteſt:
At non amorem. *Scipio.* Saltem amoris pabulum
Eripere Victor poterit. Eſt adhuc meis
In vinculis tua ſponſa. *Aluc.* Num ſolúm mea
Sponſalia obſtant, quò minùs Sparto Eucharis
Reddatur hodie libera? *Perax.* Tua quamdiu eſt,
Ne ſperet eſſe libera; hòc Romæ ſalus,
Hoc Victor æquus poſtulat. *Aluc.* Jam non loquor
Cum transfuga. Edic Scipio, ſi Alucius
Renunciet Juri ſuo; num liberam
Vinclis, remittes Eucharim ad Patris domum?
Scipio. Solvetur omni vinculo hac adhuc die.
Aluc. Renuncio ergo, & Euchari, ſanctè licèt
Pactam mihi, remitto jam prior fidem.
Sta nunc pariter ô Scipio verbis tuis,
Et liberam dimitte. Me captum tene,
Quoad placebit. Eucharis modò exeat
Captivitate, moriar in vinclis ego.
Scipio. Hæc dicta ſcripto, & propria firma manu.
Aluc. Firmabo, ſi vis ſanguine, & propria nece.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

Scipio. Perax.

Scip. Nunc absque culpa poterit Eucharis manum
Sponso novo præbere; postquam Alucius
Renunciavit mutuis pactis prior.
Perax. Nunc ergo deligendus hic sponsus novus,
Romæ fidelis qui sit, & amicus tuis.
Scipio. Fideliorem neminem Romæ scio,
Quàm Scipionem. Si ipse - - sed, quid cogito?
Suíne Scipio immemor? Amor fœminæ
Hoc occupabit pectus? - - Cæterùm tamen
Spernenda non sunt fœdera, quibus tot duces
Regésque facilè pertrahi ad partes meas
Romæque possent unica Eucharis manu.
Quot non amicos inter Hispanos mihi
Hæc sola pareret fama per populos volans:
Hispana Virgo est sponsa Romani ducis.
Hoc utique fœdus utile Latinis foret.
Nunquid Perax? Quid mutus hæres? libere
Tua sensa profer. *Perax.* Scipio, nondum capis,
Ut video, quæ consilia suggessi prius:
Est destinandus Virgini sponsus novus.

Romæ fidelis qui ſit, & amicus tuis;
Sed non Latinus ipſe: nam Patriæ tuæ
Leges Latinis conjugem externam negant,
Prohibéntque ſponſam ducere è ſtirpe externa,
Et barbara, ut vocatis. *Scipio.* Has leges quidem
Latas ſcio, mirórque: nam quid intereſt,
Quænam ora primam dederit alicui diem?
Quid intereſt, Carthagine, an Romæ ſata
Sit Eucharis? Quis barbaram auſit dicere,
Cui forma, virtus, indoles, taceo genus,
Eſt tanta, qua nec Roma meliorem videt?
Quidve meliorem dico? non vidit parem
Habétve Roma huîc Virgini. Quantus decor
In ore! virtus quanta! quis animi vigor!
Amazonum de ſtirpe, quid ſtirpem loquor
Amazonum? de genere Divorum ſata,
Et patre Marte digna. - -

SCENA OCTAVA.

Scipio. Perax. Lucius.

Lucius. -- -- Frater, Lælius
Cupit remotis arbitris tibi loqui.
Scipio ad Peracem. Mox plura, Princeps. -

SCENA NONA.

Scipio Lælius. Lucius.

Lælius. -- -- -- Scipio, non jam meo,
Sed

Sed Italorum militum ore te alloquor:
Mirantur omnes, Martium semper ducis
Scipiadis animum, nescio quonam, hac die
Languore captum. Inducias hosti datas,
Quas nec petebat Mago, non capiunt duces,
Latiúsve miles. Arcis assultum omnia
Exspectat in momenta Romulidum phalanx,
Dudum parata: Scipio solus domî
Hærere clausus dicitur cum fœmina;
Et (quod ferunt indigniùs) cum fœmina
Captiva, & hoste publica gentis tuæ.
Mirantur ista milites, simul & duces.
Lucius. Imò queruntur (patere, sincerè, ut loquar)
Auri Talenta mille, quæ sponsus priùs,
Modò quoque frater obtulit pro Virginis
Sponsæque libertate per te negligi,
Et respui tam improvidè. Ergóne, inquiunt,
Aurô puella potior est nostro duci?
Plùs fœminam, quàm milites amat? Lytrum,
Quo præmiari militum exhaustos diu
Posset labores, renuit? Hæc miles palam
Per castra, & urbem jactat. *Lal.* Hoc idem duces
Mirantur, indignantur; ut taceam alia,
Quæ suspicantur. Hinc monere te volo;

 Fac,

Fac, confulas & Patriæ, & famæ tuæ.
Scipio. Quid ergo fufpicantur Aufonii duces?
Lucius. Te nempe amare fœminam. *Scip.* Et quid poftea?
Amare, fi voluero, non liceat duci,
Quod nec negatur militi infimi ordinis?
Sibi quisque fponfam feligit, qualis placet.
Lælius. Privatus illa poterit, at magno duci.
Hæc exuenda fuavitas: non quod placet,
Sed quid deceat, & publicæ rei bonum
Quid pofcat, explorare regnantem decet.
Sit fama curæ. *Scipio.* Publicæ rei bonum
Præferre proprio, & nominis famam fibi
Parare dudum Scipio (ut puto) didicit.
Lucius. Utinam nec hodie Scipio oblitus fui
Patriæ falutem, & propriam famam unicæ
Poftponeret puellæ! *Scip.* Ain', quid Eucharis
Amata gloriæ oberit, & Romæ bono?
Lælius. Etiámne quæris? Lege fi fpreta Patrûm
Malè peregrinos Scipio fequatur thoros,
Si dux ad hoftes tranfeat, credis, nihil
Hoc obfuturum gloriæ, & Romæ bono?
Scip. Si dux ad hoftes tranfeat? Quid fomnias?
Sapísne? *Lal.* Crede Scipio, haud unus modò
Amore captus fœminæ Heros perditus,
Suæque raptus Patriæ. Hoftis Eucharis

Jurata

Jurata ſemper Italæ ſtirpis fuit:
Ab hac amari ſi cupis; debes prius
Odiſſe Romam: vel niſi Romam velis
Odiſſe, nunquam te Eucharis amabit, ducem
Romæ ſequentem ſigna. *Lucius.* Num demum vides,
Cur conquerantur milites, fremant duces?
Scipio. Fremant. Ego compeſcere frementes ſciam.
Læli, duces, & milites omnes ſimul
Adeſſe fac in publico actutum foro.
Reſponſa dabimus digna Romano duce,
Et Scipione digna. Sic teſtor Deos.

SCENA DECIMA.

Lælius. Lucius.

Lucius. Reſponſa dabimus digna Romano duce.
Quænam illa? *Læl.* Multùm timeo: nam monitis meis
Eſt graviter irritatus. *Lucius.* ô Dii! date,
Ne ſit nefaſta Patriæ præſens dies,
Et Scipionum gloriæ occaſum ferat.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Scena exhibet iterum forum Carthaginiense, & in eo ante fores Praetorii erectum splendidum tentorium.

Alucius. Varro. Comites.

VArro. Si posceis ultimùm Euchari Princeps loqui;
Concedit aditum Scipio: at brevis sies.
Aluc. Cur ultimùm? Num libera ergo jam Eucharis
Cum fratre mox abibit ad patris domum?
Varro. Docere Spartus poterit. En! ipse advenit.

SCENA SECUNDA.

Alucius. Spartus.

Spartus. Amice, Sparto ignosce, qui hisce vinculis
Ignarus etsi, strinxit innocuas manus.
Ego caput istud prodidi. *Aluc.* Omitte, obsecro,
Amice talia. Error, haud scelus fuit,
Dirúmque fatum Alucii premit caput.
Sed tolero promptus fata; dummodo Eucharis
Vinclis soluta redeat ad patrios lares.
An reddidit jam Scipio sororem tibi?
Spartus. Auri Talenta mille promptus obtuli.

Pro

Pro te pariter, amice, promisi lytrum
Quodcunque victor posceret. *Aluc.* An autem annuit?
Spartus. Responsa tantùm dubia verbis his dedit:
Princeps, sororem liberam cernes brevi,
Nisi ligari renuat. Haud plura addidit.
Aluc. Nisi ligari renuat? Haud capio satis.
Non se explicavit pluribus? *Spart.* Cœpi quidem
Instare, sed - - *Aluc.* Quid reposuit? *Spart.* Adhuc hac die
Hæc clarius pandenda Romano palam
Exercitu. *Aluc.* Quid cogitem Sparte? Insolens
Gravisque motus pectus ambiguum quatit.
Spart. Fors plura nôrit Eucharis. Age, accedimus. *

* *Aperto tentorio cernitur in eo erecta ara floribus strata & penes eam Eucharis in habitu nuptiali &c.*

SCENA TERTIA.

Alucius, Spartus, Eucharis.

Spart. Quis apparatus iste? Quid agitur soror?
Aluc. Qualem video te, ô Eucharis? *Euch.* Sponsam vides,
In veste nuptiali, & aris proximam.
Spartus. Cui destinaris sponsa? *Euch.* Præsentes dabunt.
Has legite, si placebit.** *Aluc.* Heu! motu novo

** *Offert litteras.*

Cor palpitat: præſagit inſolita animus:
Spartus legit. Scipio Euchari. Princeps, noveris jura victoriæ; hæc dum te, & Alucium, olim ſponſum tuum, mihi captivos tradidit, ſponſalitii fœderis vincla diſſolvit, & captos victoris arbitrio ſubjecit. Itaque meum cùm ſit, ſponſum tibi deſtinare, talem ſelegi, quem te digniſſimum judicavi. Non reſiſtes, ut ſpero, victoris arbitrio, & Scipionis tui ſtudioſiſſimi voto, nec dedignaberis ſponſi manum, quam tibi hodie porriget Scipio.

Aluc. Quid? Scipio tibi porriget manum ſuam?
Spart. Jam capio dicta. *Liberam cernes brevi, Niſi ligari renuat.* At quid Eucharis
Ad iſta? Num conſentit Auſonio thoro?
Placétne ſponſus Scipio, hoſtis Patriæ?
Euch. Victoribus utique obſequi captos decet.
Aluc. Ergo obſequetur Eucharis civi Italo,
Et me vidente nubet hoſtili duci?
Alucii ergo ſponſa Romano manum
Præſente ſponſo porriget? *Euch.* Sponſus meus
Olim fuerat Alucius; ſed fœderi
Renunciavit, & prior rupit fidem.
Aluc. Rupit fidem? dum, ut liberam te vinculis
Eximeret, ex amore non viſo hactenus
Subivit ipſe vincula hæc? *Rupit fidem?*
Ut libera eſſet Eucharis, ſponſalibus,

Queîs

Queîs nihil habebat charius, renunciat
Alucius, sponsámque dum servet, prior
Ipsus perire voluit, & *rupit fidem*?
Eucb. Princeps recede, quæso: ni vis me obrutam
Dolore. *Aluc.* Dic pudore. *Spart.* Non capio satis
Mentem sororis. Ergo demum - - *Eucb.* * Poculum
Hoc nuptiale clariùs mentem meam
Brevì explicabit. *Spart.* Poculum hoc cui paras?
Eucb. Sponso novo. Sic moris est. *Aluc.* Duci Italo?
Ingrata! sic Alucio insultas palam?
Tam prompta, tam levis induis amores novos?
Et me vidente poculum sponso paras?
Eucb. Noli invidere hoc poculum etiam hosti tuo.
Quid lateat hoc sub nectare, eventus dabit.
Spart. Quid ergo monstri poculo hoc paras, soror?
Eucb. Libabo nempe hoc prima: post me Scipio,
Si sponsus amat ad inferos sponsam sequi.
Læta hanc cicutam exhauriam, & mortem simul.
Spart. Mistum veneno poculum est? *Eucb.* Manu mea.
Extrema nempe suadet extremus dolor,
Amórque. Princeps, ultimùm vale accipe.

* *Ostendit poculum aureum in ara positum.*

Brevi has ad aras pedibus affusum tuis
Cernes cadaver Eucharis, quondam tuæ.
Aluc. Quid? Ipsa tibi mortem inferes?
Euch. Mortis feram
Solamen ingens: nempe servatam tibi
Fidem, O Aluci! si esse non possum tua,
Non esse possum alterius, emoriar tua.
Aluc. Ah! pone desperata consilia Eucharis.
Vive, & nisi salutis alia sit via,
Vel Scipioni nube. Me solùm mori
O Virgo patere. Moriar ad pedes tuos. *
Age ergo mucro, sanguinem infaustum bibe,
Et pectus hoc - - *Euch.* Ah siste! quid ferox paras?
Aluc. Quod perdita spe suadet extremus furor:
Mali levamen unicum, mortem peto.
Mori juvabit, antequam aliena in manu
Videre cogar Eucharim. *Euch.* Frater juva.
Eripito sicam *Spart.* Ponito Princeps modum
Nimio furori: aut si quidem mori placet,
Moriare non inultus. Itali ducis
Hæc sica fodiat pectora; priusquam Euchari
Sacras ad aras insolens tendat manum.
Euch. Ita est: in hostem sica stringenda est: prior
Scipio petendus: pectus hostilis ducis
Confige, tum, si fata nos cogunt mori,
Simul mori juvabit. Interea vale,
O spon-

* *Alucius, cùm inermis ipse sit, arripit pugionem à latere Spartì pendentem, & eodem se parat confodere.*

O ſponſe quondam! pariter & frater vale,
Atque utriusque vindica auditam necem.*

* *Clauditur tentorium.*

SCENA QUARTA.

Alucius. Spartus.

Aluc. Non, Eucharis, non patiar hodie te mori.
Solus ego peream, & Eucharis vivat diu.
Spart. Nec Eucharis, nec Alucius, ſed Scipio
Moriatur hodie ſolus; aut ſaltem prior.
Aluc. Redde ergo ſicam: hæc pectus Itali ducis
Ipſas ad aras fodiet, antequam manum,
Fidémque capiat Eucharîs. *Spart.* Reddo tibi
Ferale telum. Stringito hoc prompta manu;
Sed non adhibeas proprium in pectus, rogo,
Niſi Scipionis ſanguine imbutum prius.

SCENA QUINTA.

Alucius. Spartus. Perax.

Perax. In Scipionem Principes, credo furitis;
Sed non minore pectus hoc ardet face
Communem in hoſtem. Scipio hoſtis omnium.

Com-

Communis hodie vindicem dextram omnium
Meretur; hanc jungamus, & socias opes.
Aluc. Quos Scipionis improbe satelles novos
Fallace nimium pectore innectis dolos?
Vade hinc. *Perax.* Aluci, patior hæc probra omnia,
Quia bene merui. Fateor, ego primus faces
Scipiadis animo subdidi, & in Alucium
Victoris iras, quo modo potui, ferox
Studui incitare: primus institit Perax,
Ut Eucharis ab Alucii demum thoro
Abrepta nubat alteri, & sponsum novum
A Scipione exspectet. *Spart.* Et cur hæc Perax?
Perax. Nempe ex amore in Eucharim. Omnia fateor:
Alucii rivalis est dudum Perax,
Neglectus etsi ab Euchari: hinc & transiit
Ad castra Latia, prœmium belli unicum
Alucii sponsam expetens; sed heu! malè
Spes hæc Peracem lusit. Ipse Scipio
Utrique nostrûm præripit amatam suam:
Patiamur ista? Si quidem viri sumus,
Et utriusque nequeat expleri jam amor,
Vindicta saltem splendida, & læsum juvat
Reparare honorem. Uterque jungamus simul
Potentiorem in æmulum iratas manus,
Et liberemus Virginem à proco Italo.

Spart.

Spart. Quis liberandæ Virginis reſtat modus?

Perax. Facilis, modò velitis: in vicinia
Uterque veſtrûm nunquid armatas habet
Naves, manúmque ſtrenuam? *Spart.* Ad portum prope
Aliquot meorum militum ſervant rates;
Sed ipſam in urbem nullus acceſſus patet.
Perax. Per me patebit. Porta littori proxima
Commiſſa nobis, quam occupant Numidæ mei.
His veſtra ſociate agmina, his urbem ſimul
Et Scipionem aggredimur. *Alucius.* Anne hæc ſeriò
Perax, & absque fraude? *Perax.* Sic teſtor Deos,
Diiſque nobis charius caput Eucharis.
Aluc. Tibi Sparte pronus milites cedo meos.
Tu ſtatue, quod videbitur. Vinclis ego
Detentus arctis, audeo parùm aut nihil.

SCENA SEXTA.

Spartus. Perax. Nuntius.

Nunt. ad Spartum. Princeps verende! En litteras! *Spart.* Quis has tibi?
Nunt. Manus fidelis. Perlege, & redde ocyus
Reſponſa, num conſilia, quæ dantur, probes.

Spartus.

Spartus. Recede paulùm amice: reſponſum dabo.
Nunc denuo te adjuro per Deos, Perax;
An Scipionem perditum verè cupis,
Carthaginémque liberam? *Perax*. Dixi; Deos,
Diisque charius Eucharis juro caput:
Nam propriam jurare per fidem parùm eſt,
Dum pro Euchari jam propriam exui fidem.
Spart. Audi ergo, quas ex arce Mago litteras:
Legit. *Non ultra indoleo vinculis Eucharis, quæ brevi rumpet mea ex arce eruptio. Non probibebit Alucius militibus ſuis jam per me monitis, ne dominos ſuos liberent, nec Spartus deerit ſuis, noſtriſque partibus. Si viri ſumus, hodie erimus liberi, & per nos Carthago.*
Perax. Io! favet fortuna. Conſpirat polus,
Et cœpta noſtra promovet. Tot hoſtibus
Nullus reſiſtet Scipio. Imò quod magis
Noſtra arma promovebit, inter milites
Ducéſque Latios orta jam diſcordia.
Ipſus, forum cùm tranſii, vidi palam
Ibi congregatos Italos, vix mutua
A cæde continere furioſas manus:
Dum nempe quidam amoribus ducis favent;
Et Scipioni quidquid arridet, probant;
Alii queruntur opprimi leges Patrum,
Quando peregrinos Scipio ambiat thoros.

Spartus.

Spartus. Ergo moras abrumpimus: prona utimur
Occasione. Sta datis verbis Perax,
Et pande portas: Spartus haud deerit sibi,
Suisque, Mago cœpta complebit quoque.
Perax. Tuum ergo moneas militem, ego meos voco.

SCENA SEPTIMA.

Perax. Phameas. Bitias. Numidæ.

Perax. Adeste amici, quæ prius decrevimus,
Explete fidi. *Pham.* Stamus ad nutus tuos,
Bitias. Ignosce Princeps, non satis tuta omnia
Mihi videntur. námque Romanos, quidem
Et Scipionem cœpta consilia opprimunt;
Ast adjuvant Alucium, si milites
Alucii, Spartique, quod decreveras,
Admittis intra mœnia, & jungis tuis.
Perax. Mitte ista, providebimus. Modò pergite,
Et state prompti, ut jusseram. Ubi signum tubæ,
Et tesseram audieritis, hinc primam omnium
Abstrahite vobiscum Eucharin, & ad meum
Tentorium deducite: mihi Scipio
Erit occupandus, & nisi fata invident,
Inter tumultum, & mutuas strages quoque
Alucium

Alucium opprimamus aut ferro, aut dolo,
Age modò Scipio: para sponsalia:
Restingue proprio sanguine Hymenæi faces.
Favete Furiæ. Victimam vobis dabit,
Eámque non tantùm unicam hac Perax manu.
Carthago, Roma, Scipio, atque Alucius,
Et Mago, Spartus, Eucharis tandem meo
Cedent amori; aut victimæ saltem meo
Cedent furori.

SCENA OCTAVA.

Perax. Lucius. Lælius.

Lucius. - - Plurimùm, Perax, tibi
Obstricta Roma tota; quòd facundia
Et arte mira, nempe Numidarum duce
Dignissima, suadere Romano duci,
Tandémque persuadere potuisti nova,
Et gloriosa fœdera, & dignos thoros,
Et Africanæ conjugi dandam manum.
Magna hæc, fatemur, merita sunt, fidum probas
Te Romæ amicum. *Perax.* Gratulor Romæ, & mihi,
Si, quod decebat, præstiti. Fratrem interim
Ad nuptias deducito. Brevì sequar,
Ipse paranymphus. *Lucius.* An etiam insultat mihi?

Lælius.

Lælius. Sine barbarum. Jam pergimus ad urbis forum.
Jam congregatum militem, & duces vides.

SCENA NONA.

Lucius. Lælius. Tribuni, & Milites Romani.

Tribun. 1mus. Læli, paratos cernis: Arma omnes tibi,
Manúsque promptas jungimus. Si Scipio
Contemnere audet patrias leges, ducem
Non amplius cognoscimus. *Trib. 2dus.* Nemo, cui
Pectus Latinum est, poterit hoc probrum pati,
Ut à marito barbaræ sponsæ sibi
Patiatur imperari. Amores exteræ,
Et non Latinæ conjugis Leges vetant.
Non sustinemus barbaræ junctum ducem.
Milites. Non sustinemus. *Læl.* Ponite nimium impetum.
Priùs audiendus Scipio est. Forsan moras
Saltem impetrabunt omnium nostrûm preces.
Injicere saltem amoribus frænum juvat,
Modò differat, quas nuptias hodie parat.
Lucius. Nil spero: namque fratris accensus nimis
Non patitur ulla fræna, nec moras amor.

Fac, consulas & Patriæ, & famæ tuæ.
Scipio. Quid ergo suspicantur Ausonii duces?
Lucius. Te nempe amare fœminam. *Scip.* Et quid postea?
Amare, si voluero, non liceat duci,
Quod nec negatur militi infimi ordinis?
Sibi quisque sponsam seligit, qualis placet.
Lælius. Privatus illa poterit, at magno duci.
Hæc exuenda suavitas: non quod placet,
Sed quid deceat, & publicæ rei bonum
Quid poscat, explorare regnantem decet.
Sit fama curæ. *Scipio.* Publicæ rei bonum
Præferre proprio, & nominis famam sibi
Parare dudum Scipio (ut puto) didicit.
Lucius. Utinam nec hodie Scipio oblitus sui
Patriæ salutem, & propriam famam unicæ
Postponeret puellæ! *Scip.* Ain', quid Eucharis
Amata gloriæ oberit, & Romæ bono?
Lælius. Etiámne quæris? Lege si spreta Patrûm
Malè peregrinos Scipio sequatur thoros,
Si dux ad hostes transeat, credis, nihil
Hoc obfuturum gloriæ, & Romæ bono?
Scip. Si dux ad hostes transeat? Quid somnias?
Sapísne? *Lal.* Crede Scipio, haud unus modò
Amore captus fœminæ Heros perditus,
Suæque raptus Patriæ. Hostis Eucharis
Jurata

Jurata semper Italæ stirpis fuit:
Ab hac amari si cupis; debes prius
Odisse Romam: vel nisi Romam velis
Odisse, nunquam te Eucharis amabit, ducem
Romæ sequentem signa. *Lucius.* Num demum vides,
Cur conquerantur milites, fremant duces?
Scipio. Fremant. Ego compescere frementes sciam.
Læli, duces, & milites omnes simul
Adesse fac in publico actutum foro.
Responsa dabimus digna Romano duce,
Et Scipione digna. Sic testor Deos.

SCENA DECIMA.

Lælius. Lucius.

Lucius. Responsa dabimus digna Romano duce.
Quænam illa? *Læl.* Multum timeo: nam monitis meis
Est graviter irritatus. *Lucius.* ô Dii! date,
Ne sit nefasta Patriæ præsens dies,
Et Scipionum gloriæ occasum ferat.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Scena exhibet iterum forum Carthaginense, & in eo ante fores Praetorii erectum splendidum tentorium.

Alucius. Varro. Comites.

VArro. Si poscis ultimùm Euchari Princeps loqui;
Concedit aditum Scipio: at brevis fies.
Aluc. Cur ultimùm? Num libera ergo jam Eucharis
Cum fratre mox abibit ad patris domum?
Varro. Docere Spartus poterit. En! ipse advenit.

SCENA SECUNDA.

Alucius. Spartus.

Spartus. Amice, Sparto ignosce, qui hisce vinculis
Ignarus etsi, strinxit innocuas manus.
Ego caput istud prodidi. *Aluc.* Omitte, obsecro,
Amice talia. Error, haud scelus fuit,
Dirûmque fatum Alucii premit caput.
Sed tolero promptus fata; dummodo Eucharis
Vinclis soluta redeat ad patrios lares.
An reddidit jam Scipio sororem tibi?
Spartus. Auri Talenta mille promptus obtuli.

Pro

Pro te pariter, amice, promisi lytrum
Quodcunque victor posceret. *Aluc.* An
autem annuit?
Spartus. Responsa tantúm dubia verbis his
dedit:
Princeps, sororem liberam cernes brevi,
Nisi ligari renuat. Haud plura addidit.
Aluc. Nisi ligari renuat? Haud capio satis.
Non se explicavit pluribus? *Spart.* Cœpi
quidem
Instare, sed - - *Aluc.* Quid reposuit? *Spart.*
Adhuc hac die
Hæc clarius pandenda Romano palam
Exercitu. *Aluc.* Quid cogitem Sparte? In-
solens
Gravísque motus pectus ambiguum qua-
tit.
Spart. Fors plura nôrit Eucharis. Age, ac-
cedimus. *

* *Aperto tentorio cernitur in eo erecta ara floribus strata &c. penes eam Eucharis in habitu nuptiali &c.*

SCENA TERTIA.

Alucius, Spartus, Eucharis.

Spart. Quis apparatus iste? Quid agitur
soror?
Aluc. Qualem video te, ô Eucharis? *Euch.*
Sponsam vides,
In veste nuptiali, & aris proximam.
Spartus. Cui destinaris sponsa? *Euch.* Præ-
sentes dabunt.
Has legite, si placebit.** *Aluc.* Heu! motu
novo

** *Offert litteras.*

Cor palpitat: præsagit insolita animus:
Spartus legit. Scipio Euchari. Princeps, noveris jura victoriæ; hæc dum te, & Alucium, olim sponsum tuum, mihi captivos tradidit, sponsalitii fœderis vincla dissolvit, & captos victoris arbitrio subjecit. Itaque meum cùm sit, sponsum tibi destinare, talem selegi, quem te dignissimum judicavi. Non resistes, ut spero, victoris arbitrio, & Scipionis tui studiosissimi voto, nec dedignaberis sponsi manum, quam tibi hodie porriget Scipio.

Aluc. Quid? Scipio tibi porriget manum suam?
Spart Jam capio dicta. *Liberam cernes brevi, Nisi ligari renuat.* At quid Eucharis
Ad ista? Num consentit Ausonio thoro?
Placétne sponsus Scipio, hostis Patriæ?
Euch. Victoribus utique obsequi captos decet.
Aluc. Ergo obsequetur Eucharis civi Italo,
Et me vidente nubet hostili duci?
Alucii ergo sponsa Romano manum
Præsente sponso porriget? *Euch.* Sponsus meus
Olim fuerat Alucius; sed fœderi
Renunciavit, & prior rupit fidem.
Aluc. Rupit fidem? dum, ut liberam te vinculis
Eximeret, ex amore non viso hactenus
Subivit ipse vincula hæc? *Rupit fidem?*
Ut libera esset Eucharis, sponsalibus,
Queîs

Queîs nihil habebat charius, renuntiat
Alucius, sponsámque dum servet, prior
Ipsus perire voluit, & *rupit fidem*?

Eucb. Princeps recede, quæso: ni vis me obrutam
Dolore. *Aluc.* Dic pudore. *Spart.* Non capio satìs
Mentem sororis.. Ergo demum - - *Eucb.* * Poculum
Hoc nuptiale clariùs mentem meam
Brevì explicabit. *Spart.* Poculum hoc cui paras?

Eucb. Sponso novo. Sic moris est. *Aluc.* Duci Italo?
Ingrata! sic Alucio insultas palam?
Tam prompta, tam levis induis amores novos?
Et me vidente poculum sponso paras?

Eucb. Noli invidere hoc poculum etiam hosti tuo.
Quid lateat hoc sub nectare, eventus dabit.

Spart. Quid ergo monstri poculo hoc paras soror?

Eucb. Libabo nempe hoc prima: post me Scipio,
Si sponsus amat ad inferos sponsam sequi.
Læta hanc cicutam exhauriam, & mortem simul.

Spart. Mistum veneno poculum est? *Eucb.* Manu mea.
Extrema nempe suadet extremus dolor,
Amórque. Princeps, ultimùm vale accipe.

* *Ostendit poculum aureum in ara positum.*

Brevi has ad aras pedibus affusum tuis
Cernes cadaver Eucharis, quondam tuæ.
Aluc. Quid? Ipsa tibi mortem inferes?
Euch. Mortis feram
Solamen ingens: nempe servatam tibi
Fidem, O Aluci! si esse non possum tua,
Non esse possum alterius, emoriar tua.
Aluc. Ah! pone desperata consilia Eucharis.
Vive, & nisi salutis alia sit via,
Vel Scipioni nube. Me solùm mori
O Virgo patere. Moriar ad pedes tuos. *
Age ergo mucro, sanguinem infaustum bibe,
Et pectus hoc - - *Euch.* Ah siste! quid ferox paras?
Aluc. Quod perdita spe suadet extremus furor:
Mali levamen unicum, mortem peto.
Mori juvabit, antequam aliena in manu
Videre cogar Eucharim. *Euch.* Frater juva.
Eripito sicam *Spart.* Ponito Princeps modum
Nimio furori: aut si quidem mori placet,
Moriare non inultus. Itali ducis
Hæc sica fodiat pectora; priusquam Euchari
Sacras ad aras insolens tendat manum.
Euch. Ita est: in hostem sica stringenda est: prior
Scipio petendus; pectus hostilis ducis
Confige, tum, si fata nos cogunt mori,
Simul mori juvabit. Interea vale,

O spon-

* *Alucius, cùm inermis ipse sit, arripit pugionem à latere Sparti pendentem, & eodem se parat confodere.*

O ſponſe quondam! pariter & frater vale,
Atque utriusque vindica auditam necem.*

*Clauditur tentorium.

SCENA QUARTA.

Alucius. Spartus.

Aluc. Non, Eucharis, non patiar hodie te mori.
Solus ego peream, & Eucharis vivat diu.
Spart. Nec Eucharis, nec Alucius, ſed Scipio
Moriatur hodie ſolus; aut ſaltem prior.
Aluc. Redde ergo ſicam: hæc pectus Itali ducis
Ipſas ad aras fodiet, antequam manum,
Fidémque capiat Eucharis. *Spart.* Reddo tibi
Ferale telum. Stringito hoc prompta manu;
Sed non adhibeas proprium in pectus, rogo,
Niſi Scipionis ſanguine imbutum prius.

SCENA QUINTA.

Alucius. Spartus. Perax.

Perax. In Scipionem Principes, credo furitis;
Sed non minore pectus hoc ardet face
Communem in hoſtem. Scipio hoſtis omnium.

Com-

Communis hodie vindicem dextram omnium
Meretur; hanc jungamus, & socias opes.
Aluc. Quos Scipionis improbe satelles novos
Fallace nimium pectore innectis dolos?
Vade hinc. *Perax.* Aluci, patior hæc probra omnia,
Quia bene merui. Fateor, ego primus faces
Scipiadis animo subdidi, & in Alucium
Victoris iras, quo modo potui, ferox
Studui incitare: primus institit Perax,
Ut Eucharis ab Alucii demum thoro
Abrepta nubat alteri, & sponsum novum
A Scipione exspectet. *Spart.* Et cur hæc Perax?
Perax. Nempe ex amore in Eucharim. Omnia fateor:
Alucii rivalis est dudum Perax,
Neglectus etsi ab Euchari: hinc & transiit
Ad castra Latia, prœmium belli unicum
Alucii sponsam expetens; sed heu! malè
Spes hæc Peracem lusit. Ipse Scipio
Utrique nostrûm præripit amatam suam:
Patiamur ista? Si quidem viri sumus,
Et utriusque nequeat expleri jam amor,
Vindicta saltem splendida, & læsum juvat
Reparare honorem. Uterque jungamus simul
Potentiorem in æmulum iratas manus,
Et liberemus Virginem à proco Italo.

Spart.

Spart. Quis liberandæ Virginis restat modus?

Perax. Facilis, modò velitis: in vicinia
Uterque vestrûm nunquid armatas habet
Naves, manúmque strenuam? *Spart.* Ad portum prope
Aliquot meorum militum servant rates;
Sed ipsam in urbem nullus accessus patet.
Perax. Per me patebit. Porta littori proxima
Commissa nobis, quam occupant Numidæ mei.
His vestra sociate agmina, his urbem simul
Et Scipionem aggredimur. *Alucius.* Anne hæc seriò
Perax, & absque fraude? *Perax.* Sic testor Deos,
Diisque nobis charius caput Eucharis.
Aluc. Tibi Sparte pronus milites cedo meos.
Tu statue, quod videbitur. Vinclis ego
Detentus arctis, audeo parùm aut nihil.

SCENA SEXTA.

Spartus. Perax. Nuntius.

Nunt. ad Spartum. Princeps verende! En litteras! *Spart.* Quis has tibi?
Nunt. Manus fidelis. Perlege, & redde ocyus
Responsa, num consilia, quæ dantur, probes.

Spartus.

Spartus. Recede paulùm amice: reſponſum
dabo.
Nunc denuo te adjuro per Deos, Perax;
An Scipionem perditum verè cupis,
Carthaginémque liberam? *Perax.* Dixi;
Deos,
Diisque charius Eucharis juro caput:
Nam propriam jurare per fidem parùm eſt,
Dum pro Euchari jam propriam exui fidem.
Spart. Audi ergo, quas ex arce Mago litteras:
Legit. Non ultra indoleo vinculis Eucharis, quæ brevi rumpet mea ex arce eruptio. Non probibebit Alucius militibus ſuis jam per me monitis, ne dominos ſuos liberent, nec Spartus deerit ſuis, noſtrisque partibus. Si viri ſumus, bodie erimus liberi, & per nos Carthago.
Perax. Io! favet fortuna. Conſpirat polus,
Et cœpta noſtra promovet. Tot hoſtibus
Nullus reſiſtet Scipio. Imò quod magis
Noſtra arma promovebit, inter milites
Ducésque Latios orta jam diſcordia.
Ipſus, forum cùm tranſii, vidi palam
Ibi congregatos Italos, vix mutua
A cæde continere furioſas manus:
Dum nempe quidam amoribus ducis favent;
Et Scipioni quidquid arridet, probant;
Alii queruntur opprimi leges Patrum,
Quando peregrinos Scipio ambiat thoros.

Spartus.

Spartus. Ergo moras abrumpimus: prona utimur
Occasione. Sta datis verbis Perax,
Et pande portas: Spartus haud deerit sibi,
Suisque, Mago cœpta complebit quoque.
Perax. Tuum ergo moneas militem, ego meos voco.

SCENA SEPTIMA.

Perax. Phameas. Bitias. Numidæ.

Perax. Adeste amici, quæ prius decrevimus,
Explete fidi. *Pham.* Stamus ad nutus tuos,
Bitias. Ignosce Princeps, non satis tuta omnia
Mihi videntur. námque Romanos, quidem
Et Scipionem cœpta consilia opprimunt;
Ast adjuvant Alucium, si milites
Alucii, Spartique, quod decreveras,
Admittis intra mœnia, & jungis tuis.
Perax. Mitte ista, providebimus. Modò pergite,
Et state prompti, ut jusseram. Ubi signum tubæ,
Et tesseram audieritis, hinc primam omnium
Abstrahite vobiscum Eucharin, & ad meum
Tentorium deducite: mihi Scipio
Erit occupandus, & nisi fata invident,
Inter tumultum, & mutuas strages quoque
Alucium

Alucium opprimamus aut ferro, aut dolo,
Age modò Scipio: para sponsalia:
Restingue proprio sanguine Hymenæi faces.
Favete Furiæ. Victimam vobis dabit,
Eámque non tantùm unicam hac Perax manu.
Carthago, Roma, Scipio, atque Alucius,
Et Mago, Spartus, Eucharis tandem meo
Cedent amori; aut victimæ saltem meo
Cedent furori.

SCENA OCTAVA.

Perax. Lucius. Lælius.

Lucius. - - Plurimùm, Perax, tibi
Obstricta Roma tota; quòd facundia
Et arte mira, nempe Numidarum duce
Dignissima, suadere Romano duci,
Tandémque persuadere potuisti nova,
Et gloriosa fœdera, & dignos thoros,
Et Africanæ conjugi dandam manum.
Magna hæc, fatemur, merita sunt, fidum probas
Te Romæ amicum. *Perax.* Gratulor Romæ, & mihi,
Si, quod decebat, præstiti. Fratrem interim
Ad nuptias deducito. Brevi sequar,
Ipse paranymphus. *Lucius.* An etiam insultat mihi?

Lælius.

Lælius. Sine barbarum. Jam pergimus ad urbis forum.
Jam congregatum militem, & duces vides.

SCENA NONA.

Lucius. Lælius. Tribuni, & Milites Romani.

Tribun. 1*mus.* Læli, paratos cernis: Arma omnes tibi,
Manúsque promptas jungimus. Si Scipio
Contemnere audet patrias leges, ducem
Non amplius cognoſcimus. *Trib.* 2*dus.* Nemo, cui
Pectus Latinum eſt, poterit hoc probrum pati,
Ut à marito barbaræ ſponſæ ſibi
Patiatur imperari. Amores exteræ,
Et non Latinæ conjugis Leges vetant.
Non ſuſtinemus barbaræ junctum ducem.
Milites. Non ſuſtinemus. *Lal.* Ponite nimium impetum.
Priùs audiendus Scipio eſt. Forſan moras
Saltem impetrabunt omnium noſtrûm preces.
Injicere ſaltem amoribus frænum juvat,
Modò differat, quas nuptias hodie parat.
Lucius. Nil ſpero: namque fratris accenſus nimis
Non patitur ulla fræna, nec moras amor.

Lælius. Tentemus ultima. *Trib. imus.* Insonat clangor tubæ,
Scipio propinquat. *Læl.* Occupet utrumque hoc latus,
Et ſtans in armis audiat ducem phalanx.

SCENA DECIMA.

Scipio. Lælius. Lucius. Tribuni. Milites. Lictores &c.

Scipio. In Scipionem, ut audio, miles fremit,
Et conqueruntur plurimùm Auſonii duces,
Quænam ergo cauſa murmuris? Dicat palam,
Et prodeat, ſi quispiam mecum malè
Contentus eſſe potuit. Hîc, coram omnibus
Agitanda noſtra cauſa. -- Cur altùm ſilent?
Cur ore muto Martii aſſiſtunt duces?
Læl. Per me locuti jam priùs tibi, Scipio,
Nunc expetunt reſponſa, Romano duce,
Et Scipione digna. *Scip.* Quod poſcunt, dabo.
Eucharis amores exprobrant nobis duces.
Quod nempe veſtrûm quilibet credit ſibi
Licere, mihi non liceat? aut cur Eucharis
Indigna Scipionis habeatur manu?
Lucius. Externa quòd ſit è ſtirpe hoſtium,
Et hoſtis ipſamet Italæ gentis. *Scip.* Sat eſt;
Silere

Silere fratrem jubeo. Dicant milites:
An Scipioni, Roma quem vobis dedit
Ducem ſupremum, debitam poſthac fidem
Præſtare denegabitis? *Læl.* Nemo fidem
Negabit unquam, Scipio, fac, quod placet;
Sed Roma, fama, gloria, & ſtirpis decus,
Legésque Patriæ mente ne tua excidant,
Obteſtor, atque, ſi Eucharis placeat tibi;
Patiare ſaltem perbreves, rogo, moras:
Dum Roma, dum ſenatus ad preces tuas
Inter Latinas Eucharim cives legat.
Non denegabit Patria hoc meritis tuis.
Romana civis Eucharis fiat priùs;
Tum digna demum ſponſa Romani ducis.
Scipio. Periculoſa pectori huic tela admoves.
Romana civis Eucharis fieri queat?
Læl. Te poſtulante. Spondeo etiam operam meam
Ad id impetrandum. Patere tantiſper moras,
Novásque differ nuptias. *Scip.* Non, non. Moras
Abrumpo. Quod ſtatuimus, hac fiat die.
Sum victor, & victoriæ jura eripi
Mihi, crede, nunquam patiar. Huc adducite
Alucium. Simul Eucharis prodi palam.

SCENA UNDECIMA.

Personæ, quæ priùs, accedit Eucharis.

Scipio. Spectate formam hanc milites, & Indolem
Examinate Principis, tum dicite,
An barbara, atque indigna Romano thoro
Hæc sponsa dici possit. An vidit parem
Huic Roma tota virginem? *Trib. imus.* An Pallas polo
Delapsa nobis adstat? An superûm ipsamet
Regina Juno? *Trib. adus* Juro, plus quàm fœminæ
Mortalis est hæc forma. Demonstrat Deam.
Trib. Jam deprecamur, Scipio, querelas nimis
Improvidas. Fatemur errorem. Eucharis
Non barbara est, sed digna Romano thoro.
Non querimur ultrà. Scipio, fac, quod placet.
Est Eucharis ter digna Romano thoro.
Læl. Est digna, fateor ipsus; id tamen rogo,
Perfer moras, ô Scipio, saltem breves,
Dum Roma, dum senatus hæc vota approbet.
Scipio. Sum victor, atque Jura victoris scio,
Nec

Nec Roma, nec ſenatus obſtabit mihi.
Quin juſta cœpta compleam hac adhuc
die.

SCENA DUODECIMA.

P*erſonæ, quæ priùs, accedit Alucius.*

S*cipio.* Adeſto Aluci. Nunquid agnoſcis
tua
Soluta jam ſponſalia, & Juris nihil
Tibi ſupereſſe in Eucharim, quæ jam mea
eſt
Captiva. A*luc.* Si promiſſa, quæ priùs de-
dit,
Implere nôſſet Scipio, non ampliùs
Captiva foret hæc virgo. Nonne libe-
ram
Hodie patri, fratríque reddendam Eucha-
rim
Promiſeras, ſi Alucius Juri ſuo
Renuntiaret? præſtiti, quod juſſeras,
Renuntiavi. Redde jam Eucharim patri.
S*cipio.* Reddam: priùs tamen liganda vin-
culo
Eſt nuptiali virgo. Jam edic Eucharis,
An prona tandem porriges ſponſo manum,
Quem deſtinavit Scipio victor tibi?
Loquare prompta. E*uch.* Juſſa victoris ſe-
quor.
Alucium fac liberum, & dabo manum
Cuicunque jubeat Scipio. Princeps, tibi

Ut fida sim, sum perfida: ut vincla exuas,
Invita quamvis vincla conjugii induo.
Et nuptiale poculum, hoc jam, si jubes,
Libabo prima, Scipio. *Aluc.* Ah! siste Eucharis,
Mortem mihi infer Scipio, hanc lætus feram,
Modò non videre cogar aliena in manu
Sponsam, mihi uni debitam. *Scip.* Hanc captam modò
Victoria mihi tradidit. Victor meo
Jure utor. Audi Roma, Carthago, Dii
Audite, vósque milites, utor meo
Victoriæque Jure. Quis sit Scipio,
Cujus amore flagret, hæc pandat dies.
Age ergo virgo, porrige hoc promptam manum,
Et, quod Dii felicitent, jussu meo,
Votóque præbe. Alucio. Hunc olim pater,
Nunc victor etiam destinat sponsum tibi.
Quid uterque mutus hæret? *Aluc.* Insultas mihi?
Euch. Ludisne captam? *Scip.* Principes, Juro fidem
Vobis Latinam, Patrios testor Deos:
Hæc seriò agito. Virginem cedit tibi:
Qualem recepit Scipio: hoc fateor tamen,
Si amare possem quidpiam extra Patriam,
Amare vellem hanc virginem; sed sit procul
Affectus hic à corde Romani ducis,
Quem sola virtus, & Patriæ amor occupat,
Agite

Agite ergo, dextras jungite. *Aluc.* Ah! patere priùs
Magnanime victor, dexteram amplectar tuam,
Stringámque pectus inclytum hoc, in quod priùs,
Fatebor etenim, ſtrinxeram ſicam impiam,
Euch. Strinxiſſe genua liceat, & tanti ducis,
Cui jam pararam poculô infandô necem,
Exoſculari ſupplici voto pedes.
Scip. Aſſurgite ergo Principes ...
Hîc intra ſcenam auditur tubarum, & tympanorum
Sonitus, & ex variis theatri partibus clamor.
Ex parte dextra Numidæ: - Vive Eucharis,
Peráxque vive. Scipio, & Roma occidat.
Ex parte ſiniſtra, milites Magonis
Vive Eucharis, Magóque. Scipio pereat,
In mediō Vive Eucharis, & Alucius. Roma occidat
Iterum ex omni parte ſimul omnes intra ſcenam
Carthago vivat. Scipio, & Roma occidat.
Inter hunc tumultum elabuntur Alucius, & Eucharis.
Scipio. Quis hic tumultus ſubitus? *Nunt. imus.* Eheu! Scipio
Proditio tetra cuditur, portæ patent
Urbis recluſæ: perfidus Perax trahit
Inimica caſtris agmina, & Spartus ſimul,
Simúlque Mago milite infeſto irruunt.

Scipio. Læli, Peraçem sequere cum prompta manu.
Hac parte Tribune objice phalanges Afris.
Vos me sequamini. - Unde gravius iminet
Periculum? *Nunt. 2dus* Vah! undique hostes imminent,
Quin ipsus etiam Alucius visus mihi
Præcipite cursu tendere ad Sparti agmina
Atque repetitis vocibus Spartum undique
Spartum Vocare. *Scip.* Alucius? ubi, aut quomodo - -
Tribu. En! jam propinquos cerno *Scipio.* state milites.
Densate strictos ordines, firmo pede,
Juncta bipenni excipite primos impetus.
Aluc. redux. Aliò arma verte Scipio: nihil tibi
Ex hac timendum parte. Jam jussu meo
Mei quiescunt milites, Spartus quoque
Jam cohibet arma, quæ furor præceps nimis,
Errórque jussit stringere. Accede, obsecro
Huc Sparte, jam me liberum, & sponsum vides
Tuæ sororis. Dexteram hanc lædas cave,
Cui tanta jam debemus. *Spart.* An vera omnia?
Ignosce victor, error, haud scelus fuit,
Qui nos ad arma compulit. Pono gladium.
Aluc. Imò arma jam stringamus, at pro partibus
Tuis benigne victor, & juncta manu
Peti-

Petimus Peracem. *Nunt. 3tius.* Scipio, curam exue
Tutúsque siste, sola Lælii phalanx
Hostis repressit impetum, turpi fugæ
Locum Perax inquirit. *Scipio.* Haud fugæ locus
Est proditori dandus. *Nunt. 3tius.* Instat Lælius
Atque fugientûm terga non lentus premit.
Scipio. At Mago superest. Pergimus contra?
Nunt. 4tus. Impetum
Magonis etiam Lucius forti manu
Repressit. *Scip.* Anne & ipse jam Mago fugit?
Nunt. 4tus. Jam jam jubet receptui signum dari,
Hinc missus ad te venio fratris nomine.
Scipio. Auxilia nempe poscit? *Nunt. 4tus.* Imò aliud petit:
Nempe ut relinquas gloriæ hanc partem sibi.
Victúsque Mago Lucii dextrâ audiat.
Scipio. Non invidebo gloriam hanc fratri. Modó
Prætorium repetimus, ubi lætam Eucharim
Et liberam videre jam vobis licet.
Et quò placebit, ducere, ad patris domum
Sponsíve, non impedio. Jam vestra in manu est.
Varro, moneto virginem è tentorio
Ut prodeat secura. *Spart.* Victoris piam
Fortémque priùs exosculer dextram, sine.
 Scipio.

Scipio. At Lælius, jámne redit? aut Perax ubi?

Lælius. Hac immolandus dextera fuerat Perax;

Sed prompta nimium perfidum eripuit fuga,

Evaſit urbe. *Scip.* Non tamen noſtras manus

Evadet. Olim debitas pœnas dabit

Romæ mihíque proditor. At ubi Eucharis?

Varro Indago fruſtra Virginem: fruſtra Eucharîs

Inclamo nomen: nemo reſpondet. *Spart.* Soror

An nuſpiam comparet? *Aluc.* heu! pectus tremit.

Malum nefaſtum ſuſpîror: fugiens Perax

Raptam Eucharim ſecum abſtulit. *Scip.* Rapta Eucharis?

Spart. Citò proditorem inſequimur. Arma! arma! - -

SCENA ULTIMA.

Perſonæ omnes præter Peracem, & Numidas.

Euch. - - - Haud opus

Jam, Frater, armis. Mago dat victas manus,

Arcísque claves tradit. En ſiſto ducem,

Jam ſupplicem Romæ, tibíque Scipio

Mago. Romane ductor, ſupplicem cernis quidem,

Sed

Sed non per arma Latia, non vi, vel minis,
Ferróve domitum. Virginis hujus preces,
Lacrymæque me vicêre, vicit & tua
Pietas, nimis magnanima, qua modo audii
Te reddidiſſe liberam neptem meam
Sponſo, patri, fratríque, & hæc ultro quidem.
Tanta pietas in hoſte, & erga hoſtes ſuos,
Magonis animum vicit, hinc tandem fera
Submitto Romæ colla, quæ talem virum
Progenuit orbi, cujus ipſi hoſtes quoque
Amare debent indolem. Viciſti Afros,
Non enſe, ſed clementia. *Scip.* Hanc Mago quoque
Sperare certam poterit. *Luc.* At mihi quidem
Clementia tua, frater, optatum decus,
Victoriámque præripit, quam de duce
Magone mihi ſperaveram: applaudo tamen,
Lubénsque cedo gloriam totam tibi.
Euch. Fratris redundat gloria in fratrem quoque.
Aluc. Nunc arctiora fœdera, niſi reſpuas,
Generoſe victor, jungimus, Romæ offero,
Lectas cohortes militum, & propriam manum
Juſſis tuis devoveo. *Spart.* Sub tanto duce
Latina Spartus ſigna gaudebit ſequi.
Homagium præſtamus. *Aluc.* Ad pedes tuos
Vexilla cernis, nuper infeſta Italis,
At nunc ſacrata gloriæ, & Romæ bono.
Scipio. Accipio promptus fœdera, & Romæ novos

Tan-

Tantósque socios gratulor. Latii duces.
Responsa nostra audîstis. An nondum placent?
An non putatis digna Romano duce?
An fama, stirpis, gloria, & Romæ salus
Neglecta per me? *Læl.* Scipio, ignoscas, rogo,
Fratri mihìque. Vincis hac die omnia,
Dum te ipse vincis. *Lucius.* Nobile ô stirpis decus!
Major futurus Patruo, & major Patre.
Aluc. Licétne Magne Scipio, rogare, ultimam
Tot gratiis ut addere velis gratiam?
Scip. Et quid rogatis Principes? *Aluc.* Dixi, ultimam
Rogare liceat gratiam. *Spart.* Oblatum lytrum
Quoniam recusas capere, saltem hæc munera,
Fidelitatis pignora admittas, rogo,
Scipio. Placent, amici, munera hæc, nec respuo
Testes amoris. Ponite huc coram omnia.
Lælius. Pretiosa sunt hæc dona, digna Regibus
Lucius. An te tua Celtiberia has gemmas pa i ?
Aluc Sub nisit Oriens, Scipio, hæc ne respuas.
Spartus. Majora gratus proximè afferet Parens.
Scipio. Virgo, priùs te reddidi sponso tuo,
Sed, ne absque dote reddita videri queas,
Hæc accipe à me munera, hanc dotem tibi
Assignat hodie Scipio, hanc sponso refer

Mago.

Mago. An ulla ſurgere altior virtus poteſt!
Euch. Admitto dotem: ſed tamen Laurum tibi
Saltem reſerva. Verticem hac cingo tuum,
Et vota facio, qualia à me credidi
Nunquam fore extorquenda, jam precor Deos,
Ut Roma felix floreat ſub hoc duce,
Orbémque vincat Scipio Victor ſui.

O. A. M. D. G.



OBSER-

OBSERVATIONES

IN SCIPIONEM.

De scopo hujus Tragœdiæ.

TRagœdiam, non Tragi-Comœdiam præsens Drama appello, quia, etsi lætum habeat exitum, Comœdiæ convenientem, Personas tamen omnes illustres, & serias tantùm actiones, gravésque rerum perturbationes involvit, quales sunt Alucius captivus. idémque unà cum Euchari in ultimam desperationem redactus, periclitata Scipionis fama, & vita, tot hostium in Scipionis, & Romanorum perniciem conjuratio, urbium eversiones, Principum cædes, etsi non consummatæ, tamen proximè imminentes. Quæ omnia satìs gravia videntur ad timorem, & commiserationem, quam Aristoteles in Tragœdia requirit, excitandam, & noxias animi affectiones purgandas: pericula enim, in quæ Actores primarios unius fœminæ amor conjicit, spectatorem docent amoris violentiam timere, & quamvis læta sequatur mutatio, quæ denique voluptatem potiùs, quàm terrorem in spectantium animis relinquit, hæc ipsa tamen, cùm ex domito amore proveniat, unà cum priori timore impellere spectatorem potest ad noxios amores strenuè domandos, qui quidem Scopus est, & doctrina moralis præsentis Tragœdiæ.

De Characteribus Personarum.

Quod characteres Personarum attinet, admodùm inter se diversos efformare studui. De Scipione quidem Florus Annæus scribit, eum tantâ continentiâ fuisse, ut captivam, cujus forma omnium ore celebrabatur, ne aspicere quidem sustinuerit; sed hæc de sene Philosopho, quam de militari Juvene verosimiliùs narrata videntur. Saltem affectibus, & perturbationibus, quas tragica scena postulat, excitandis parùm serviisset Stoicus hic Actoris primarii animus. Malui itaque Livium quàm Florum sequi, ut Tragœdiæ

Tragœdiæ Heroëm darem, qualem vult Aristoteles, nempe non nimis probum, sed humano etiam vitio, & errori obnoxium. Itaque Scipionem produco à teneri amoris sensu non omnino immunem, sed nutantem, & jam periculosè fluctuantem, ac facilè in præceps iturum, nisi Lælii consilia, & revocatus in animum Patriæ, & gloriæ amor heroëm à lapsu revocassent. Sed erit fortè, qui desideraret, Scipionem vehementiori amoris impetu agitatum, & graviùs jam implicatum in Scena apparere, qualem Titum in Berennice Cornelius, & Rasenius producunt, ut quò difficilior lucta, eò illustrior esset victoria. Verùm nec Instituto meo conveniebat teneros amores nimiùm urgere, nec Scopo hujus Tragœdiæ, quæ præcipuè docere intendit, principiis obstandum, & primos statim amorum impetus retundendos. In hoc quippe pugnandi genere Illustriorem Victoriam refert, qui maturè fugit, quàm qui tardè vincit. *Character Scipionis.*

Plus hac in re Alucio, & Euchari, utpote jam sponsis, indulgendum fuit, in quibus par amor mutuus, par fidelitas, par in Romanos odium, pares utrinque sensus, etiam inter teneros amores heroici, nisi quòd Eucharis quandoque ipsum Alucium animi magnitudine superare videatur, quod etsi non ordinarium sit fœminis, non tamen à verosimili abhorret, & theatra nostra tales Amazonas, viris etiam fortiores, cum plausu sæpius ostentarunt, ut Cornelius in Æmilia, & Berennice. Noluí tamen & has personas præcipuas omni humano vitio exemptas proponere. Est in utroque amor in se nimius, & nimium in Romam odium, quæ in gravissima eos pericula conjiciunt, & ad desperata nimis consilia impellunt, ut ita habeant, quam Philosophus expetit, mediocritatem, ut non sint nimiùm probi, nec tamen ita improbi, ut commiseratione videantur indigni, adeoque aptissimi ad affectiones *similes* amoris nempe noxii in spectantium animis per timorem, & commiserationem purgandas. *Character Eucharis, & Alucii.*

Character Magonis. Magonis porro Character habet aliquid viri fortis, non tamen Romani, nec ad ultimum sibi constantis. Quòd ad castra hostium unius Virginis, etsi neptis amantissimæ, causâ descendat, quòd durantibus adhuc induciis eruptionem moliatur, quòd hortante Euchari arcem Romanis tradat, vitia sunt, & Punicam perfidiam, ac levitatem indicant, à Punici ducis moribus tamen non alienam. Fuit, quem ego ex pluribus titulis plurimùm veneror, vir eximiæ eruditionis, cui minùs probabatur, quòd Magonem in Scipionis castra induxerim, nulla priùs fide publica petita: Sed objectioni huic ipse Mago in Scena 4ta, & dein iterum in 8va satis, ut puto, respondit. Sanè adverti, cùm hanc ipsam Tragœdiam pluribus in Theatris exhiberem, inopinatum Magonis in Romana castra adventum spectatorum animos longè acriùs, ac jucundiùs perculisse, quàm dum, (ut alicubi feceram) præmisso caduceatore, & obtenta primùm venia accederet.

Character Peracis. Plus adhuc de Barbarorum moribus Perax habet, totus in affectionibus suis turbulentus, in Consiliis præceps, & in sola inconstantia constans. Atque hi Barbarorum caracteres Romanam Scipionis virtutem, velut umbra picturam, magis reddunt perspicuam, &, quod observandum Poëtæ, spectatorum favorem Heroi primariò conciliant.

De unitate actionis. Addo quædam circa unitatem loci, temporis, & actionis. Actio primaria hujus Tragœdiæ est Scipionis de se ipso Victoria, dum succensos jam in pectore amores fœmineæ amori Patriæ, & gloriæ immolat, & quam ipsius deperire cœperat Virginem, etiam hosti restituit. Ad quam actionem *unicam* diriguntur omnes reliquæ, quæ in singulis actibus ponuntur actiones *incompleta*, & ita inter se cohærentes, ut non una *post aliam*, sed *una ex alia*, verosimiliter, & ex his denique ipsa actio primaria sequatur. Concepit quidem hunc sui vincendi animum Scipio jam ad finem actûs 4ti, ubi ex ore Lælii, & Lucii, famæ, &

& gloriæ, & patriæ suæ imminens ob amores in Eucharim periculum clariùs apprehendit; nondum tamen hunc animum prodit, sed ita agit, & loquitur, ut contraria omnia moliri credatur: hinc in actu 5to incipit se quidem Tragœdiæ nodus solvere, sed ita, ut magis implicari videatur: nam Scipionis ad Eucharim literæ, & indicta nuptialis solennitas novas perturbationes, & vehementissimas affectiones in Alucio, Euchari, Sparto, & Perace, atque in ipsis etiam Romanis excitant; quod ideo à me factum, ut pacifactus tandem Scipionis animus aliorum tam agentium, quàm spectantium animos diutiùs suspensos, & contraria omnia exspectantes vehementiùs percellat. Prodit igitur Scipio mentem suam primùm in actus 5ti Scena 1ma per illa verba: Age ergo Virgo, porrige huc promptam manum

Et quod Dii feliciter, jussu meo
Votóque præbe Alucio.

Nondum tamen ibi completa est actio. Si enim post traditam Alucio Eucharim scenam clausissem; parùm contentus abiisset spectator, meritò requirens, quid de Sparto, quid de Magone, quid de Perace actum sit. Evolvenda igitur erant omnia, quæ priùs fuerant involuta. In quo, fateor, non levem difficultatem expertus sum, tumultuariè agendum fuit. Itaque ipsam actionem illam, qua Scipio sponsam sponso nil tale opinanti restituit, vix cœptam interrupi per subitam, priùs tamen jam decretam, Magonis, Sparti, & Peracis irruptionem, horum felix, & facilis propulsatio, & ex hostibus in amicos mutatio non nova actio est, sed ex primaria necessariò profluens; ejusdémque illustre complementum.

Locum Scenæ posui novam Carthaginem, non tamen per totam urbem liberè vagatus, actus singulos certò loco affixi, nempe in, vel coram ædibus Magonis, in urbis ampliori foro sitis, & jam à Sci- *De unitate loci.*

à Scipione occupatis omnia peraguntur: uti marginales notæ ad cujusque actûs initium ostendunt.

De unitate temporis. Unitas temporis satis strictè, ut puto, observatur, dum quæ in hac Tragœdia exhibentur, omnia intra aliquot horarum, aut certè unius diei spatium contingere potuerunt, nisi quis cum Lucio Scipione in scena Prima Actûs tertii miretur, & quærat: *Non hora unica. Qua visa fratri* (Scipioni) *est Eucharis tantas faces Queas excitare?* cui ibidem respondebit Lælius:

Nempe non nôsti improbas
Vires amoris. Corda momentô rapit.



STI-

STILICO

TRAGOEDIA

ARGUMENTUM.

STilico natione Vandalus, belli, & pacis artibûs inclytus, & duorum Cæſarum non gratia modò, ſed & affinitate clariſſimus (quippe Theodoſii Gener, & Honorii Socer) æternùm nomen ſuîs in Romanum Imperium meritîs ſibi peperiſſet, ſi, ut hoſtes, ita etiam nimium amorem in filium Eucherium domare potuiſſet: hunc enim ut altiùs extolleret, non dubitavit cum Alarico Gothorum rege, toties priùs à ſe glorioſè devicto pernicioſa fœdera inire, ex tutore Cæſaris factus ejusdem proditor; ſed infelici eventu vitam, & famam, & utrâque chariorem Filium perdidit. *Oroſius l.7. c. 37. & 38. Paulus Diaconus circa annum Chriſti 412.*

PER-

PERSONÆ.

Stilico
Eucherius *Stiliconis filius.*
Honorius, *Cæsar.*
Thermantia, *Honorii Conjux, Stiliconis filia.*
Attalus, *Legatus Alarici.*
Hudinus
Sargus
Rullus
Maxentius
} Duces bellici.
Lucilius, *Cohortis Prætorianæ Præfectus.*
Comitatus.

Scena ponitur Romæ in Palatio Cæsareo.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Stilico. Eucherius. Hudinus.

Stilico. Depone curas Eucheri, & ſortis tuæ,
Tuique amoris proſperum eventum mihi
Committe tutus. Stilico ſum, pater tuus,
Patrémque me probabo: tu temet quoque
Stilicone dignum filium in bello proba;
Ad quod feroces provocant Romam Gothi,
Tibíque laudis aream, & pronos gradus
Ad ſumma ſternunt culmina, & regum thoros.
Per arma genitor gloriæ aſcendi thronum,
Ipſóque major Cæſare rego Cæſarem:
Per arma nate pariter optatos gradus
Scandes honorum, téque Placidiæ manu,
Sceptríſque dignum Martius faciet chalybs.
Eucher. Manum Placidiæ ſpondet Eucherio pater?
Ignoſce genitor; non ſatìs nôſti indolem
Altóſque ſpiritus Placidiæ. Cæſarum
Filia, ſororque non niſi reges poteſt
Amare, Cæſaréſque: ſponſum reſpuet,
Cui ſceptra deſunt, nata pro ſceptris manus.
Stilico. Ne ſceptra deſint, diximus, quære Eucheri
Per arma ſceptrum. Jam viam ſtravit pater:

Natus

Natus sequatur. Repeto: Placidiæ manu
Sceptrísque dignum Martius faciet chalybs.
Euch. Vestigia patris gestit Eucherius sequi
Arma inter educatus, exemplô tuô
Martis pericla spernere didici puer,
Promptúsque pergo, quo Patris nutus vocat,
Spésque obtinendæ gloriæ, & sponsæ trahit.
Sed alia demum cura pectus hoc premit.
Stilico. Quænam illa, nate, cura? *Euch.* Metuo plurimúm,
Ne bella, quæ minatur Augusto Gothus,
Rursum impedita gloriæ, & spei meæ
Obstacla ponant: namque (quod tu ipsus satis,
Meliúsque nosti) Cæsar à bello nimis
Abhorret, & si poterit à Gothico duce
Pacem obtinere - - *Stil.* Nate, non nôsti omnia.
Qualis Alarici mens sit, & cur Cæsari
Intentet arma - - plura pandam in tempore:
Nunc Cæsari te siste. Vexillum Imperî
Hodie tibi tradetur: hoc auctus gradu
Honoris, aspirante Bellona tua,
(Sorore nempe Cæsaris) in hostes prior
Movebis arma nate; dum sequar parens.
Eucb. Quàm me beant hæc nuntia! Videor mihi
Jam medius inter Gothica volitare agmina,
Madidus cruore barbaro: impatiens moræ
Exspecto belli classicum. *Stilico.* Hoc, fili, brevì
Romæ sonabit, téque ad optatum evocans
 Mar-

Martis theatrum gloriæ pandet viam,
Speique cœptæ. Quamdiu Mavors furit,
Et Roma trepidat, tuta Stiliconum domus
Ridere poterit: cuncta sunt nostra in manu
Parens in aula, natus in castris regit.
Hudine; dum nos Cæsarem - - ast ipsus
subit.

SCENA SECUNDA.

Honorius. Stilico. Eucherius. Comites &c.

Honor. Adesto pater. *Stil.* Auguste, servum
conspicis.
Honor. Nilne Attalus legatus Alarici tibi?
Stilico. Auguste, quidquid Attalus nuper
mihi,
Tibi fidelis detuli: belli minas
Romæ, tibique intentat Alarici furor.
Honor. Hæc nuper; at quid litteris recens
datis
Alaricus à me poscat, an nôsti pater?
Stilico. Nempe insolenti spiritu agitatus
Gothus
Minas minis adjiciet, & fastu tumens
Romæ, tibique, more, quo dudum solet,
Audebit insultare: novi barbaros,
Novi superbam regis Alarici indolem:
Nil sancta pacis jura, nil curat fidem.
Libido sola barbaram mentem regit,
Furórque cœcus imperat, quidquid pla-
cet.

Honor.

Honor. At, qua arte, credis, comprimi hic
poterit furor?
Stilico. Hoc enſe, quo jam ſæpe compreſ-
ſus fuit,
Demum opprimetur perfidi Alarici furor.
Euch. Collectus eſt exercitus: modò annuat
Auguſtus, hoſti occurrimus adhuc hac die,
Et prævenimus barbari regis minas.
Honor. Promptúsne ad arma Eucherius eſt?
Euch. Nutus tuos
Exſpectat avidus. *Honor.* Anne concedet
parens,
Ut charus adeò filius bello aſpero,
Dubiæque Martis aleæ exponat caput?
Stilico. Charus licèt ſit filius; promptus ta-
men
Hunc immolabit Stilico Romæ, & Cæſari.
Si pro ſalute Cæſaris natus cadit,
Cadet beatus. Funeri applaudet parens
Tam glorioſo. *Honor.* Pectus heroum patris,
Natique non degeneris Auguſto placet;
Procul tamen ſint arma: dum Italia brevì
Non Martis, aſt Thalaſſii accendet faces.
Unica Hymenæi tæda Mavortem procul
Romæ fugabit mœnibus. Sed de his tibi
Plura Gothicus legatus, huîc loquere prior,
Noſtróque nomine Attali vota excipe,
Reférque fidus. Interim mecum Eucheri,

 SCENA

SCEENA TERTIA.

Stilico. Hudinus.

Stilico. Satisne cæpi dicta? amice, quid agitur?
Ergo *procul sint arma? & Italia brevi*
Non Martis, ast Thalassii accendes faces?
Unica Hymenæi tæda Mavortem procul
Romæ fugabit mœnibus? Quid hæc volunt
Sibi verba? *Hudin.* Pandet plura, quem coram vides.

SCENA QUARTA.

Stilico. Attalus. Hudinus.

Stil. Quid agitur Attale? Quidve rex tuus datis
Ad Cæsarem? non arma, quod dudum mihi
Promiseras, indicit? an nondum palam
Juberis intonare belli classicum?
Atal. Nec intonare classicum, nec Cæsari
Indicere arma jubeor; at pacis novum
Firmare fœdus. Attalum Alaricus jubet.
Stilico. Firmare pacis fœdus Alaricus jubet?
Et seriò ista? *Attal.* Seriò; at nondum satis:
Ut firmiora fœdera hæc inter Gothos
Romámque perstent, avidus Alaricus cupit
Gothico sororem Cæsaris jungi thoro.

Pro-

Propriumque sceptrum Placidiæ offert, & manum.

Stilico. Alaricus audet petere Placidiæ manum?

Attalus. Et, ut videtur, Cæsari hoc fœdus placet.

Stilico. Ita Stiliconem perfidus ludit Gothus?
Sic pacta servat? Sic meo sponsam parat
Eripere nato? *Attal.* Plura si lubet, dabit
Hæc charta, quam rex ipsus Alaricus tibi.

Stilico. Qualis character? legere non novi. *Attal.* Sinas,
Interpretabor fidus absque omni dolo.
Miraberis, quin forsan indignaberis *Attalus legit.*
Pacem Gothos petiisse, quos Stilico tamen
Ad arma concitaveras: Causam petis?
Pandamus: Ictus nempe piscator sapit.
Deceptus à te sæpius simplex Gothus,
Ne possit ultrà decipi, sibi cavet.
Propono pacem Cæsari, & fœdus novum:
Hoc si tibi displiceat, age tandem, exsere
Promissa toties arma, signa in Cæsarem
Extolle; mox conjunget Alaricus tuis
Suas cohortes: Italas oras prope
Jam stamus, & si Stilico stet pactis, Gothus
Pariter fidelis stabit: Imperii decus,
Manus Placidiæ filio cedet tuo,
Gothicóque tellus Sicula jungetur throno.
Hæc pacta mutua atque promissa Stilico
Complere si non audeas, ne ægrè feras,
Si pariter aliam quærat Alaricus viam,

No-

Novóque propriis consulat regnis modo.
Regis vides consilia; nondum fœdera
Firmata pacis: bella, si placeant tibi,
Regi meo non displicent; prior tamen
Extollat arma Stilico, & à Româ prior
Sese ipsa Roma dividat? primus petat
Hac ipsa in urbe Cæsarem Martis furor.
Stilico. Matura necdum tempora. Alaricus prior
Extollat arma; Stilico sua junget brevì.
Attalus. Frustra es. Meus rex decipi cautus timet,
Et vana tantùm verba sibi dari putat;
Nisi Stiliconem videat in Romam palam
Insurgere. *Stil.* Ergo dubia tibi nostra est fides?
Attalus. Ni primus arma in Cæsarem, & Romam exseris;
Nihil movebit Italiæ in oris Gothus.
Tuum est statuere, bella, num pacem velis.
Aut perde Stilico Cæsarem, aut natus tuus
Perdet Placidiam. Jam elige: utrum præplacet?
Ego interim adeo Cæsarem, & fœdus novum
Urgebo, quantùm potero. Sic rex imperat.

SCENA

SCENA QUINTA.

Stilico. Hudinus.

Stil. Hudine! quid nunc confilî? Gothico dolo
Inverfa cernis cuncta. Ni arma Cæfari
Primi inferamus; arma non tollet Gothus.
Hudin. Ergo inferamus arma. Selecti duces,
Omnísque miles pendet è nutu tuo.
Stilico. An publica arma ftringat in generum focer?
Stilico rebelli in Cæfarem infurgat manu?
Hudin Nonne ifta pacta te inter, & regem Gothum
Dudum ftatuta? Nunquid Alaricum prior
Ipfe Stilico invitaveras, ut Cæfari
Indicat arma, féque conjungat tibi?
Hæc nunquid . - *Stil.* Ah Hudine! què patrius amor
Improvidum me compulit! pro filii
Meliore forte bella credebam mifer
Aptiffima; hinc ad bella pellexi Gothos
Quocunque pacto: Cæfarem, & Romam metu
Concutere volui, ut tutior ftaret domus
Stiliconis; at rebellio, armáque publica
In Cæfarem ftringenda nunquam feriò
Placuêre. Semper horrui tantum fcelus.
Decipere fperabam arte fecreta Gothum,

Si-

Simúlque Cæſarem; aſt heu! memet modò
Deprendo vafri fraude præventum Gothi.
Hudin. Jacta alea eſt; pertexere incœptam decet
Telam. Periclum reſpuit inertes moras.

SCENA SEXTA.

Stilico. Hudinus. Sargus. Rullus. Maxentius.

Sargus. Accurre Stilico. Caſtra non ſolitò ſtrepunt
Concita tumultu. *Stil.* Quis tumultus excitat?
Sargus. Inviſa pacis nuntia, & fœdus novum;
Urbs tota narrat Placidiam Alarici thoro
Jam deſtinatam à fratre: quin ipſe Attalus
Annuere votis Cæſarem ſpargit palam.
Maxent. Prô pax probroſa! poſteri hoc noſtri audiant,
Nos barbarum expaviſſe; Romámque integram
Ad inſolentis territam Gothi minas
Poſuiſſe peîla, peîla, quæ quondam ultimus
Expavit orbis? *Rullus.* Et quod indignum magìs,
Emiſſe pacem? Nam quid aliud ſentiet,
Ætásque ſcribet poſtera; niſi territos
Nos vendidiſſe barbaro Auguſtos thoros,

Na-

Natam, & fororem Cæfarum? *Sargus.* Hæc Stilico vides,
Et pateris? *Rullus.* Audis talia, & lentus files?
Max. Arma, arma Stilico: bella, non pacem petit
Romana gloria. *Stil.* Bella ni Cæfar velit;
Quid Stilico poterit? *Rullus.* Ut velit Cæfar, potes
Suadere; namque Cæfarem tu ipfus regis.
Omnes prætr. Stilic. Arma, arma, Stilico. *Max.* Sanguinem Auguftum thoro
Malè inquinari barbaro nullus feret,
Cui Roma cordi eft. *Rullus.* Et, fi Honorius fuam
Non erubefcit jungere fororem Gotho;
Nec frater eft, nec Cæfar: indignus throno eft.
Omnes item. Arma, Arma Stilico. *Stil.* Hic ardor armorum placet,
Confilia pronus jungerem, & promptam manum;
Nî Cæfar abnuat. *Sargus.* Abnuat, vel annuat
Honorius, mihi fatis eft nutus tuus.
Stilico, Accedo, amici, Cæfarem, caufam omnium
Acturus. *Rullus.* Hoc rogamus. *Stil.* Hoc fiet, mea
Confilia fi fovetis. *Maxent.* Etiam fanguine fubfcribimus, fi pofcis, incœpto tuo.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

Stilico. Hudinus.

Hudin. Adhuc moraris Stilico? Favet occasio;
Polus ipse cœpta promovet; miles furit;
Nec parcit ipsi Cæsari. Utare Stilico,
Utare fatis strenuè: ubi ferrum calet,
Cudamus. *Stil.* Arma in Cæsarem stringam impia?
Et Roma, quæ defensa per nostram stetit
Hucusque dextram, nunc per hunc ipsam cadat
Eversa dextram? *Hud.* Est angor hic serus nimis

SCENA OCTAVA.

Stilico. Eucberius. Hudinus.

Eucber. Ah chare genitor! perditus natus tuus.
Hac hora ab ipso Cæsare infelix mihi
Sententia est indicta: moriendum est pater!
Stilico. Tibi, nate, mors indicta ab ipso Cæsare?
Euch. Nempe Placidia - vah! verba præpedit dolor,
Eheu! Placidia nempe jungetur Gotho.

Jam

Jam Cæſar ipſe regis Alarici preces
Suæ ſorori expoſuit, ac ô dolor! quidem
Præſente me: nec Placidia videtur Gothi
Reſpuere ſceptra. Ni pater promptus juves,
Vertáſque mentem Cæſaris, natus perit.
Hoc chalybe vitam citiùs abrumpam miſer;
Quàm ſuſtinebo barbaro jungi thoro,
Quam diligo unam. *Stil.* Nate compone impetum,
Altúmque tacito pectore dolorem preme.
Committe nobis cætera. Hudine ſequere.
Audacter anime! perge, quò præceps furor,
Amórque cogit concitum pectus patris.
Euch. Quò pergis igitur? *Stil.* Eucheri, tuâ intereſt,
Ut neſcias, quid moliar; quamvis tui
Amore cuncta moliar. Ad Aulam redi.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Stilico. Hudinus.

Stilico. I, perge promptus, - - Siſte - - quid agito miſer?
Hudin. Audacter anime! concitum pectus patris
Amor, furórque ſtimulat: Et tamen interim
Certum nihil determinas. Quid ad ducum

Tot vota? Quid pro Filio ſtatuit Pater?
Stil. Amicè, fateor, torpet, & tremit animus,
Horrórque ſceleris pectus invitum quatit.
Quid dicet orbis? Poſteri quid ſentient,
Scribéntque de me? Fama, quæ cœlum ſuper
Stiliconis alta facta jampridem extulit.
Nunc proditorem perfidum, & Romæ luem
Sparget per omnes, qua patent, orbis plagas.
Tot parta bello decora, nomen tam inclytum,
Et tot perîclis impigrè emptam gloriam
Perdamus uno crimine, rebelli manu?
Hudin. Hæc cogitâſſe, Stilico, pridem oportuit,
Priusquam ad arma, & fœdera vocares Gothum.
Nunc ſera ſunt hæc. *Stil.* Nempe cœcus eſt amor,
Nec ſat futura prævidet. Cœlum aſperum!
Aut non dediſſes filium, aut charum minùs!

SCENA SECUNDA.

Stilico. Eucherius. Hudinus.

Euch. Te, Genitor, & me Cæſaris juſſus vocat,

Age

Age modò causam filii. *Stil.* Nil ambigas;
Tua mihi cordi est causa. - - Jam noti duces
Hudine, dum rediero, fac, præstò sient.

SCENA TERTIA.

Honorius. Stilico. Eucherius.

Honor. Stilicone dignus ardor, & dignus duce
Romana castra Martia accendit face.
Ut audio, avidus militum, & ducum globus
Inclamat arma, spiritu incensus tuo.
Stil. Auguste, fateor, insolens miles nimis
Inclamat arma: teutiquam pacem probat.
Hon. Sed Stilico quid decernit? Aut quid Filius?
Non approbatis fœdera oblata à Gothis?
Alaricus armis præpotens, fama inclytus,
Pariter Placidia Cæsarum nata, & soror
Digna est potente rege, nec amat conjugem,
Cui sceptra desunt, nata pro sceptris manus.
Eucb. Est mille sceptris digna Placidiæ manus;
Sed sceptra tantum barbara ferocis Gothi

Non sat videntur digna Placidiæ manu.
Honor. Si digna Cæsar judicat, quid tu Eucheri?
Euch. Nutum vereri Cæsaris scit subditus.
Honor. Age ergo promptus Placidiam Eucheri pete,
Eique nostro nomine Alarici thoros,
Et sceptra defer Gothica: si prompta annuat,
Fratri placebit; sin minus, vel si preces
Et vota respuat, moneto, Cæsarem
Jubere posse, quod modò frater rogat.
Euch. Augusta jussa veneror; at, si subdito
Fas deprecari; munus hoc, rogo, alteri
Impone, cui facundior lingua obtigit.
Honorius. Adimple jussa, non amat Cæsar moras.

SCENA QUARTA.

Honorius, Stilico.

Hon. Sed Stilico num consilia sat capit mea?
Stil. Consilia nempe pacis, & fœdus placent?
Hon. Credisne Stilico, Cæsarem oblitum sui
Suæque Romæ? Honorium credis nihil
Memorem sororis, sanguinem Augustum thoro
Malè venditurum barbaro? *Stil.* Ergo, quæ prius
Sunt dicta - - *Hon.* Pandam clariùs mentem meam;
Sed Stilico pariter Cæsari pandat suam.

Edic,

Edic, quis altus opprimit natum dolor?
Quid mœsta facies? tacita quid poscunt sibi
Suspiria? aut cur rubuit ad nomen meæ
Sororis? aut cur munus impôstum sibi
Est deprecatus? *Stil.* Juvenis est: quo nescio,
Dolore pressum fortè languebit caput.
Honor. Dolore pressum fortè languebit caput?
Amore læsum pectus Eucherii gemit.
Credis, latere Cæsarem arcanas faces,
Queîs juvenis ardet? Perdere Placidiam timet,
Et æmulum potentem in Alarico dolet.
Stil. Quid suspicaris Cæsar? Eucherius sui
Oblitus ortûs ausit Augustos thoros
Ambire? natam Cæsarum speret sibi
Stilicone natus? Insolens quidem est amor,
Nec vota patitur lege rationis regi;
Sed insolentem didicit Eucherius meus
Vicisse amorem: subditum semet videt,
Nec ad sororem Cæsaris vota erigit
Temeraria nimis. *Hon.* Vota temeraria nimis?
Sanguis Serenæ est. *Stil.* Sed simul sanguis meus;
Et sanguis impar Cæsarum alto sanguini.
Honor. Non debet impar sanguini Augusto tuus
Ultrà vocari sanguis, ex quo Cæsaris
Augusta conjux prodiit. *Stil.* Favor tuus
Eousque filiam extulit. *Honor.* Et idem favor

Efferre poterit filium. Chare Stilico.
Agnosce tandem Honorii mentem integram:
Amet Placidiam filius tuus, precor.
Amétque constans. Cæsar has flammas probat.
Atque ut sorori Cæsaris natus tuus
Non veniat impar, sceptra gestabit brevì,
Et si alia desint; dividam hoc regni decus,
Unáque mecum Eucherius Italiam reget.
Quid obstupescis? Seria hæc mens est mihi;
Etsi alia jam simulare me tempus jubet.
Non respuo palam fœdera oblata à Gothis.
Ut tutiore fœdera evitem modo.
Spe, licèt inani, pacis Alarici furor.
Tantisper eludendus. Interea pater
Age, & fidelis arma pro nobis para:
Ego tuo pro filio Augustos thoros
Cæsarea testor sceptra, prostratis Gothis
Belli Placidia præmium, & nati tui
Quando triumphans redierit, merces erit.

SCENA QUINTA.

Stilico solus.

O Cæsar! ô Auguste! tam chara est tibi
Stirps nostra, noster sanguis, & Stilico tuum
Ausit sitire sanguinem? Sic tu me amas,
Meós-

Meósque Honori! In tam benignum Cæ-
sarem
Ego arma ſtringam? perdere audebo ma-
num
Tam prodigam in me? Perfide, ingrate
Stilico!
Quis tam nefandus impulit mentem fu-
ror?
Agnoſce tandem facinus, indignum ni-
mis
Herois animo. Honorius vivat diu,
Vivat, regátque. Stilico morietur prius,
Quàm perfidas in Cæſarem extollat manus.

SCENA SEXTA.

*Stilico. Hudinus. Sargus. Rullus. Ma-
xentius.*

Hudin. Vides ſupremos, Stilico, præſentes
duces,
Ad vota promptos omnia. *Max.* Quid Ho-
norius
Decernit? *Rullus.* Aut quid Stilico? nam
præ Cæſaris
Mihi Stiliconis juſſa ſunt. Honorius
Ignavus eſt, ac trepidus, & vix Cæſaris
Nomen meretur. Fœminas inter colum
Tractare meliùs novit, & Phrygias acus,
Quàm ſceptra Romæ. *Sargus.* Clariùs nunc
explica

Consilia cœpta, quæ per ambages modò
Hudinus exponebat obscurus nimis.
Max. An arma in ipsum Cæsarem extolli jubes?
Anne throno ineptum dejici? pandas modum,
Nihil moramur. *Rullus.* Impera, ad nutus tuos,
Et me, meósque milites promptos habes.
Hudin. Loquare tutus Stilico; jam satìs ducum
Mihi probatus animus, & constans fides.
Stilico. Estísne firmam jurejurando fidem
Spondere prompti? *Sargus.* Ex ore pendemus tuo.
Stil. Nudate gladium: in verba juretis mea:
Juro per ensem, juro per nomen ducis,
Famámque propriam, Juro per nati caput,
Quo nihil in orbe charius quidquam mihi est;
Hac dextera, atque hoc ense prostratus cadet,
Quisquis inimica Cæsarem oppugnat manu,
Aut quisquis ultra lædere Augustum volet.
Nunc Ite: motus militum compescite.
Vel si furentûm comprimi motus nequit,
Me, me ille potiùs opprimat, quàm Cæsarem.
Sargus. Hæc jussa non sat capimus. *Stil.* Ite, ite repeto,
Et jussa facite; milites compescite.
Vel si furentûm comprimi motus nequit,
Me, me ille potius opprimat, quàm Cæsarem.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

Stilico. Hudinus.

Hudin. An seriò ista Stilico? *Stil.* Toto pectore.
Hudin. Quid ergo pacta cum Attalo?, *Stil.* Attalum nihil
Jam curo, posthac nulla cum Gothis mihi
Negotia; nisi Martio in campo. Veni,
Tibi mira pandam - - Sed redit gnatus meus.

SCENA OCTAVA.

Stilico. Eucherius. Hudinus.

Stil. Legatione functus es nate? *Euch.* Ardua
Stil. Et quid Placidia? *Euch.* Callidè mentem tegit.
Nihil moveri visa totum Cæsari
Negotium relinquit. *Stil.* Et Cæsar mihi.
Fili, beamur. Vota superavit polus,
Et Cæsaris clementia. Ipsus approbat
Tuos amores. *Euch.* Cæsari an patet meus
Amor in Placidiam? *Stil.* Patet, &, ut dixi, placet.
Non jam timendus, Eucheri, Alaricus tibi est.
Euch. Nil jam timendus, inquis, Alaricus mihi est?

Tamen ipſe Cæſar - - *Stil.* Cæſar aulico modo
Locutus, alia mente conſilia fovet,
Quàm quæ ore prodit. Concipe animos, Eucheri:
Stringenda denuo arma ſunt contra Gothos,
Fruſtráque pacis fœdera Alaricus cupit.
Tibi Placidia, nate, non Gotho æmulo
Eſt deſtinata à Cæſare; modò hanc audeas
Forti mereri dextera, & contra Gothos,
Mox inchoanda bella conficias bene.
Audi ipſa verba Honorii: *Victis Gothis,*
Belli Placidia præmium, & nati tui,
Quando triumphans redierit, merces erit.
Euch. Hoc nuntium non capio: Pectus gaudio
Succumbit, altis gradior altior Diis.
Tibi ergo, Genitor chare, quid non debeo?
Tu nempe ſolus - - *Stil.* Cæſari plus, quam mibi,
O nate debes: ſolus Auguſti favor
Nos tam beatos efficit. Conde interim
Hæc dicta mente: nemini fiant palam
Promiſſa tanta Cæſaris; donec brevì
Gothico madeſcens ſanguine è bello redux
Laurum, ſimúlque Placidiæ capias manum.
Euch. Patiare ſaltem, gaudium hoc Matri feram,
Quod ſolus iſto claudere haud poſſum ſinu.

SCENA

SCENA NONA.

Stilico. Hudinus.

Hud. Anne hæc ſpopondit Cæſar? An vera omnia?
Stil. Veriſſima. - Immò plura promiſit mihi.
Cur ergo quæram ſcelere, quos ultro favor
Honorii offert filio Auguſtos thoros,
Et ſceptra thalamis æqua? *Hud.* Nil fraudis times?
Suſpecta bonitas nimia. *Stil.* Fraudes texere
Ignorat animus Cæſaris, fidus nimis,
Dudúmque teneris cognitus ab annis mihi,
Armamus ergo militem contra Gothos,
Poſthac fideles Cæſari, & Romæ duces.

SCENA DECIMA.

Stilico. Attalus. Hudinus.

Attalus. Pactísne ſtabis Stilico? Quæ mens eſt tua?
Num Cæſarem vis perdere, ánve Placidiam,
Unáque natum? Vel, magis clarè loquar,
Unáque vitam? Quid ſtupes? Quæro ultimùm.
An arma ſtringet Stilico? Num belli face
Hac

Hac nocte Roma ardebit? An fidus Gothis
Promissa solves? *Stil.* Stilico promissam Gothis,
Ubi monebit tempus, exsolvet fidem.
Attalus. Hac nocte solvere commodum tempus monet:
Ardore miles plenus in castris furit.
Stil. Ardore miles plenus in Gothos furit.
Attalus. Istum furorem Stilico, si modò velit,
Vertisse facilè in Cæsarem, & Romam potest:
Nam tua sequuntur jussa selecti duces.
Stil. Sat firma necdum militum constat fides.
Attal. Dum nempe nutat dubia ductoris fides.
Adeóne, Stilico, simplices credis Gothos,
Quin vana verba sentiant sibi dari?
Non, non: morarum jam sat, & plus quàm sat est.
Hæc nox probare poterit, an firma fide,
Fictáve inierit Stilico fœdus cum Gothis.
Tu, quod placebit, statuito; ast ego quoque
Regis mei mandata suprema exequor.
Cave tibi, moneo; decipi ultra nolumus,
Ludique. Jam mandata rex meus dedit,
Quæ Stilico non exspectat. *Stil.* Et quæ denique
Mandata? *Attalus.* Nôsti has literas? Nosti hanc manum?

Nôsti

Nôſti Sigillum? Nunquid hæc tua omnia?
Stilico. Novi, quid inde? *Attal.* Hoc inde: nempe hæc omnia
Nos inter acta Cæſari, & Romæ palàm
Facere jubetur Attalus. *Stil.* Quis hoc jubet?
Attal. Alaricus ipſe. *Stil.* Prodere Alaricus jubet
Arcana noſtra fœdera? *Attal.* A te proditus
Priórque luſus turpiter. *Stil.* Et hoc cui bonô?
Quàm digna mente regiâ hæc foret actio?
Attalus. Sit digna, vel non digna, ſaltem rex meus
Se vindicatum ſentiet, tot cladibus
Affectus à te: nec tenue Gothis erit
Levamen, alto cernere ejectum gradu,
Vitáque, cujus dexterâ ſolâ hactenus
Defenſa Roma Vandalo necdum jugo
Devicta colla ſubdidit, & arma Gothica
Tot jam triumphis clara deluſit ferox.
Suprema ſunt hæc monita. Jam Stilico elige.
Ultra moras protrahere neutiquam datur,
Aut pacta comple fœdera, atque arma exere
In Cæſarem, ídque hac nocte, dum miles favet;
Aut quanta poſſit regis eluſi furor,
Cras experire, proditus ab ipſis Gothis.

SCENA

SCENA UNDECIMA.

Stilico. Hudinus.

Hudinus. Vides periclum. Spernere haud decet minas
Audebit omnia Attalus. *Stil.* Utinam Gothos
Nunquam Stilico vidisset; ah! cur barbaris
Incauta junxi fœdera! *Hudin.* Est sera hæc nimis,
Nec apta pœnitentia. Inceptum decet
Texisse filum: Cæsar, aut Stilico hodie
Pereat necessum est. Consulas tibi, & tuis.
Stil. O fata! quò me trahitis? Attestor polum
Vellem esse fidus Cæsari, & Romæ; sed heû!
Heû cogor esse perfidus! Notos duces
Hudine revoca. Redeat in pectus furor.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Attalus. Hudinus.

ATtalus. Ergo arma Stilico capiet? & quando? *Hud.* Modò,
Dixi,

Dixi, parata cuncta: jam summi duces
Dedêre dextras. Hac adhuc nocte omnia
Complenda sunt consilia: rapere Placidiam
Sargus studebit, Rullus in Romæ foro
Lectum tenebit militem, Maxentius
Aulâ occupatâ, Cæsarem captum dabit
Custodiæ: tum castra turbanda undique,
Et Roma tota. Plura Stilico ipsus tibi..
Non approbas statuta? *Attalus.* Lenta sunt nimis
Consilia vestra. Placidiæ raptus, forum
Lento occupatum milite, & Cæsar datus
Custodiæ -- Haud ambagibus tantis opus,
Breviore cœpta perfici possunt via:
Mors sola Honorii capite viduum thronum,
Sceptrúmque Romæ tradet in nostras manus,
Hanc ergo tentet Stilico. *Hudin.* Mortem Cæsaris?
Attalus. Uno hoc resecto capite multorum queunt
Secura stare capita. *Hudin.* Poscis grandia,
Quæ Stilico vix tentabit. Amat Honorium,
Generíque proprii sanguine nefastas manus
Imbuere vix audebit; -- *Attalus,* Nolit, velit,
Debebit; & debebit hac adhuc die
Vel Cæsaris, vel filii abscissum caput
Videre. Mira Hudine conspicies brevi.

SCENA

SCENA SECUNDA.

Stilico. Hudinus.

S*til.* Quid Attalus? Cur refugit aſpectus meos?
Non approbat ſtatuta? *Hudin.* Si ritè impleas,
Probabit. S*til.* Anne dubitat? *Hudin.* Advert, timet,
Ne Stilico mentem denuo mutet: timet,
Ne ſceleris horror denuo mentem abſtrahat
A cogitatis. S*til.* Ne ambigat. Tandem exui
Vanos timores: grande ſi patro ſcelus,
Mens magna tantùm ſceleris eſt magni capax.
Illud tamen te moneo, ne nato meo,
Vel verbulum de his omnibus, quæ nos modò
Statuimus. *Hudin.* Ergo filium pater timet?
Cur Eucherius hæc neſciat, cujus tamen
Amore factum, quidquid eſt factum hactenus,
Fiétque? S*til.* Nempe ſceleris immunem decet
Servare natum, ut dignior Romæ throno
Obtineat absque crimine Placidiæ manum.
Solus ſceleris infamiam pater feret.
Fructúmque ſceleris filius. Perge interim,
Conſilia cœpta promove; at ſimul tamen
Caveto

Caveto vitæ Cæsaris. Nolo necem
Honorii, custodiæ detur: sat est.
Favete cœptis inferi! Superos enim
Non advocare sceleris in partem audeo.

SCENA TERTIA.

Stilico. Honorius. Thermantia.

Honor. Occurris opportunus: has Stilico lege.
Stilico legit. *Ingrata nimium Cæsarem manus petit*
Sceptrúmque tentat rapere malesuadus furor.
Hodierna tantum crimen audebit dies,
Ni cura cœli provida Augustum tegat.
Ignosce Cæsar, animus emotus stupet
Tanto periclo. *Honor.* Perge; totum perlege.
Stilico legit. Arcana plura panderem, si Cæsari
Soli loqui liceret, & tuto in loco:
Nam plura scribere prohibet rerum status,
Totáque nimium proditor in aula potens.
Stil. An proditoris nomen est notum tibi?
Aut hæc quis index detulit? *Hon.* Uterque est adhuc
Ignotus. *Therm.* Hanc ad limina hortorum mihi
Tanquam libellum supplicem, chartam obtulit
Ignota dextra: dum lego, dúmque indicem
Respicio, nemo porro comparuit. Ego

Tanto periclo conjugis perterrita
Accurro, lecta refero: tunc tua pariter,
Parens, rogo consilia. *Hon.* Quid sentis pater?
Unde imminere Cæsari insidias putas?
Quis perfidus conjuret in nostrum caput?
Stil. legit. Nam plura scribere probibet rerum status,
Totaque nimiùm proditor in aula potens.
Si dubia chartæ verba perpendam bene,
Cuncta Stiliconem denotant. Favor tuus
Qui me potentem nimiùm in hac aula facit,
Et proditorem - - *Hon.* Cæsarem offendis pater,
Si pergis ultra: desine indignas nimis
Stilicone voces. Anve Honorium putas
Malè suspicari posse de Socero suo,
Immò Parente? Semper invicta fide
Per tot pericla, mille per tela hostium
Tutor clienti sceptra servâsti pius,
Et suspicari potero quid de te mali,
Dum regno, Cæsar dexterâ factus tuâ?
Therm. A te, parens, consilia potiùs poscimus.
In hoc periclo Cæsarem, & natam adjuva.
Stil. Modò pateseeret sceleris index mihi,
Consilia caperem promptus; at modò - -

SCENA

SCENA QUARTA.

Personæ quæ priùs, acccedit Eucherius.

Hon. - - - - - - Eucheri,
Accede, lege: *Therm.* Consilia junge, si potes,
Mihi, Parenti, Cæsari. Omnium caput
A proditore petitur. *Euch.* Et quis proditor
Hic? *Hon.* Perlege, & quid sentias, enuntia.
Eucherius. * Quis ista scripsit? *Hon.* Cognita hæc nulli manus,
Et pariter Author sceleris, atque index latent.

* *Legit tacitè.*

Stil. Et hoc mihi gravissimas curas parit.
Facilè periculum imminens depellerem,
Hunc indicem si noscerem. *Therm.* Forsan brevi
Se sistet ipsus Cæsari; at soli: cupit
(Ut charta sat notavit) Augusto loqui
Solus remotis arbitris, tuto in loco.
Conclave, conjux, intimum solus pete:
Non dubito, quin se sistat index, quem petis.
Euch. Suspecta res est, moneo: ne indici nimis
Confide Cæsar: nam quis ignota manu
Transmittit ista? Cur in hac charta scelus
Immane prodit, sceleris Authorem tacet?
Peream; nisi index ipse sit fraudum artifex.

Cupit remotis arbitris tibi loqui ;
Ut tutus ensem pectori infigat tuo.
Non unus isto cæsus est Cæsar dolo.
Stil. Suspicio non inepta, quam fili moves:
Euch. Suspicio nulla est nimia ; quando Cæsarum
Perclitatur vita. Dudum sanguinem
Honorii Rex Gothicus Alaricus sitit ;
Auri nitore facilis ad vota impia
Venalis anima quæpiam trahi potest.
Auguste cautus præcave periclo novo.
Hon. Et quomodo cavebo ? Quid suades pater ?
Arcendus ergo , si quis arcana expetit
Alloquia nostra ? *Therm.* Spernere omnino doli
Latentis indicem, haud puto, conjux, decet.
Fors vera scripsit, quisquis hæc scripsit. *Euch.* Grave
Instat periclum, si audias, vel respuas.
Stilico. Ambigua res est, fateor , & discriminis
Utrinque plena : certa fraus, fraudis modus
Authórque adhuc incertus. *Therm.* Index deteget.
Hic audiendus, Casar. *Euch.* At non, ut cupit,
Solus remotis arbitris. Latus tuum
Stipabo, Cæsar, fidus, & si quis paret
Fraudem cruentam proditor , promptam manum,

Et

Et pectus hoc objicio: per meum latus
Latus petendum Cæsaris: meum prius
Fundat, necesse est, sanguinem, si quis tuum
Auguste sitiat sanguinem. *Hon.* Laudo fidem
Dudum probatam: Consilia sequor. Ocyus
Conclave mecum repete. Tu verò pater
Promptum teneto militem ad nutus meos,
Et quidquid aulam turbat, explora sagax.
Conjuret in nos Roma, & orbis integer,
Sola Stiliconum dextera, & fides satis
Poterit tueri Cæsarem. *Therm.* In patris manu
Confido pariter. Cæsarem serva tibi,
Nataque serva conjugem.

SCENA QUINTA.

Stilico solus.

Quale heu! modò
Subii periclum! Quale mihi superest adhuc!
Quis hanc nefastam proditor chartam in manus
Thermantiæ? Sic ipsa nempe filia,
Ignara quamvis, prodat, & perdat Patrem?
Cui Stilico fidas, quando te produnt tui?
A quo cavebis, quamdiu ignoras manum
Tibi infidelem? Quamdiu te hostis latet?

An Sargus, anne Hudinus, an Maxentius,
An Rullus hæc?

SCENA SEXTA.

Stilico. Hudinus. Sargus. Maxentius. Rullus.

H*udin.* -- Jam, Stilico, sunt prompta omnia.
Maxent. Mei parati milites. *Sargus.* Pariter mei
Nutus in omnes. *Rullus.* Jam mei complent forum,
Et curiam. *Hud.* Quid torvus adstas, & tacens?
Stil. Hudine - Sarge - Rulle - Maxenti - lege.
H*udin. legit.* *Ingrata nimiùm Cæsarem manus petit,*
Sceptrúmque tentat rapere malesuadus furor.
Hodierna tantum crimen audebit dies,
Ni cura cæli provida Augustum tegat.
S*argus.* Quis ista ? vel -- *Stil.* Sine, legat omnia, & sile.
H*udin. pergit legere. Arcana plura panderem, si Cæsari*
Soli loqui liceret, & tuto in loco.
Max. Hæc unde Charta aut quomodo in manus tuas?
Stil. A Cæsare mihi tradita. *Sargus.* Ipso à Cæsare?

Rullus.

Rullus. An Cæsar igitur novit. *Max.* Anne & complices?
S*til.* Ut complices, & Author, & cœpta omnia
Consilia pateant, Cæsarem ocyus petat,
Adeátque, quisquis proditor, & hostis meus
Vos inter unus sanguinem meum sitit:
Namque unus est vos inter, hanc qui Cæsari
Chartam nefastam detulit, & index nimis
Fidelis ardet perdere hoc caput meum.
H*ud.* Nos inter unus est utique, qui proditor
Derexit hæc arcana. *Rull.* Sed, quis hic? manus
Nihilne prodit? *Max.* Totus ignotus mihi
Character hic. S*til.* Consulite, quantùm quis potest
Vestræ saluti quisque; me meus mucro
Sat vindicabit. Sanguinem meum sitit
Vos inter unus: habeat, & sitim levet.*
H*ud.* Quid Stilico tentas? S*til.* Præstat hac dextra mori,
Quàm mox pudenda cadere lictoris manu.
Valete amici. Proditor meus vale,
Renuntiaque Cæsari, me proprio
Jam sanguine eluisse meditatum nefas.
Moriare Stilico. H*ud.* Quid paras impos tui?
Non hoc Stilico, sed Honorius ferro cadat.
S*til.* Est innocens Honorii augustus cruor,

* *Stilico pugione semet parat confodere, sed prohibent duces.*

Hic, hic nefandi ſceleris eſt ſanguis reus;
Hunc ſinite, fundam. *Rullus.* Furere ſi placeat tibi,
Tuum cruorem funde; ſed ſcito; ſimul
Noſtrûm omnium mox ſanguinem effuſum fore.
Maxent. Solus perire non potes, tecum omnia
Trahis in ruinam capita fidorum ducum.
Hudin. Eucherius ipſe periit, ubi Stilico perit:
Suſpicio námque pariter in natum cadet,
Tanquam paterni criminis complex ſiat.
Si vis perire filium, pater peri.
Stil. Quid filium menti objicis? ſine, moriar.
Tu verò, quisquis proditor es, hoc ſanguine
Contentus aliis parce: me ſolum reum
Füiſſe, narra Cæſari, & natum nihil
De crimine patris conſcium affirma palàm.
Hudin. Fruſtra eſt. Peribit natus, ubi pater perit.

SCENA SEPTIMA.

Perſonæ quæ priùs, accedit Attalus.

Attalus. Turbaris animo Stilico, nec miror: patet
Ut audio, ipſi Cæſari, inſidias ſtrui,

Etſi

Etsi latet adhuc Author. *Stil.* Heu! frustra latet.
Hos inter est, qui perdere hoc statuit caput,
Et cuncta pandet Cæsari. *Attalus.* An verò patet,
Quis literas ad Cæsarem, tuæ indices
Molitionis, dederit, obscuras licèt?
Stil. Utinam pateret! *Hud.* Conscius nemo fuit,
Nos præter, igitur unus è nobis erat
Feralis ille bubo, qui te prodidit.
Attalus. An nominari vultis hunc vobis palam?
Stil. Nostine proditoris occulti manum,
Noménve? *Attalus.* Novi, & optimè. *Stil.* Et certò? *Attalus.* Nihil
Ipsus negabit. *Stil.* Quale solamen mihi
O Attale affers! *Hud.* Proditor, quisquis fiat,
Si pateat, hoc mactatus occumbet loco.
Max. Dic ergo quisnam hic proditor? *Attalus.* Maxentius
Non est. *Rull.* Quis ergo? *Attalus.* Necque Rullus. *Sargus.* An igitur
Sargus? *Attal.* Nec hic; sed Attalus. Repeto: Attalus.
Submissa per me charta ad Augustæ manus
Pervenit, &, quod volui, ab hac ad Cæsarem,
Ignotus index cuncta perturbans, ego

Sum ſolus. *Stil.* Anne hæc ſeriò? An ludis?
Attal. Nihil,
Ludo, nihilque fingo? ſic juro caput
Meum, meique regis. Index hic ſum ego.
Rullus. Et continemus dexteras? *Max.* Necdum cadis
Infande nimiùm proditor? *Sargus.* Ferrum hoc tua
Maleſane claudet guttura.*. *Stil.* Cohibeas manum.
Sed Attalus cur talia? *Attalus.* In veſtrum bonum,
Meique regis facta, quæ feci. Brevì
Plura explicabo. Ponite interim metum,
Et ſtate pacti, cuncta procedent bene.
Stil. Quid? Prodita à te cuncta procedent bene?
Attal. Et, ſi audeatis, cuncta procedent citò.

* *Irruunt in Attalum duce, quos cohibet Stilico.*

SCENA OCTAVA.

Perſonæ, quæ priùs, accedit Lucilius.

Lucil. Miſerande Stilico! *Stil.* Quid gemis?
Lucil. Sortem tuam
Deploro: nempe tota jam jam Cæſari
Proditio, & Author criminis tanti patet.
Stil. Quis ergo hic Author ſceleris? *Lucil.* Eucherius tuus
Honorio jubente jam arctæ traditus
Cuſtodiæ. Succurre, ſi potes, parens,

Irám-

Irámque frœna Cæſaris; ni filii
Velis videre ſanguinem hac adhuc die
Viliſſima carnificis effuſum manu.
Ego hinc recedens promptus Auguſtam peto,
Et de periclo fratris admoneo citus.

SCENA NONA.

Stilico. Attalus. Hudinus. Maxentius. Sargus. Rullus.

Stil. Hudine, Sarge, & Attale! quid hæc omnia?
Attal. Ad vota noſtra hæc omnia. Eucherii tui
Captivitas, ſi neſcias, opus eſt meum.
Stil. Captivitas mei Eucherii opus eſt tuum?
Sic filium, patrémque vis una die
Perire? vel quos cudis inſanus dolos?
Attalus Servare patrem, & filium, & regis mei
Simul ſalutem cupio. *Stil.* Prodendo cupis
Servare? *Attalus.* Sic eſt. ſervo, dum prodo. *Stil.* An igitur
Tu prodidiſti, & quomodo, Eucherium meum?
Quæve innocenti crimina affingis? *Attal.* Patris.
Plura explicabo poſtea. Interim vides
Præſens periclum Stilico: nam ſi filium
Non vis perire, perdere decet Honorium,

Et perdere citò. Proditio tandem nequit
Diutiùs latere: quòd si filius
Se se innocentem Cæsari probet, patrem
Reum probabit Attalus. *Stil.* Ita ergo furis
In me, meósque? *Attal.* Parce, si cœpi aspera
Consilia; sed ad hæc indoles cogit tua.
Hactenus amâsti Cæsarem, & Romam nimis,
Neç ausus es complere, quæ promiseras
Regi meo, mihique: reperi denique,
Quo stringere queam. Filium si liberum
Cupis, arma tandem corripe, armorum jam habes
Causam decentem: criminis nemo patrem
Porro arguet, si filium insontem juvet.
Hudin. Sic est, verende Stilico, nostra promovet
Molimina hæc captivitas nati tui.
Exercitus amat omnis Eucherium unicè,
Hunc si audiant in vincula ab Honoriô datum,
Et innocentem carcere indigno premi,
Quanto furore in Cæsarem insurgent duces,
Manúsque tendent vindices nato, & patri.
Max. Hæc fama mox per castra vulganda est, tuum
Vinclis teneri filium. *Sargus.* Prior omnium
Hoc nuntium ferale Romanis feram.
Stil. Ite, atque ubique spargite irarum faces.

Jam

Jam video: fata Cæsaris necem volunt,
Sequamur ergo fata. Vicisti Attale,
Audebit hodie Stilico, quod dudum petis.
Attal. Fac, quod placebit. Cæsarem, vel filium,
Vel te perire coget hæc præsens dies.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Eucherius. Tribunus. Satellites.

TRib. Jam de tribunal Cæsaris vocat, Eucheri.
Hîc operire judicem. *Euch.* Me Cæsaris
Vocat tribunal? Quis reos nos arguit?

SCENA SECUNDA.

Accedit Lucilius.

Lucil. Ah Eucheri! *Euch.* Ah amice! quid rerum, obsecro,
Molitur aula? compedes has cur gero?
Lucil. Miraris? hasce compedes ipsus tibi
Malè fauste cudis. Heu! nimis præceps amor
Ad quod scelus te compulit? *Euch.* Cujus, doce,
Cujus, amice, criminis reus arguor?

Lucil.

Lucil. Placidia rapta, Cæsar ejectus throno,
Viráque, nunquid lévia sunt hæc crimina?
Euch. Quis hæc patravit crimina? *Lucil.*
Eucherii furor
Patrare saltem statuit. *Euch.* Hoc de me
scelus
Amice credis? Credit hoc Cæsar? Pater?
Placidia? tantum crimen Eucherium pre-
mat?
Quis audet ista fingere? *Lucil.* Ah! utinam
foret,
Credíve fictum posset hoc crimen! sed
hêu!
Frustra negare tentat Eucherius dolos,
Malásque fraudes Cæsaris structas throno;
Nisi Parentem filius reum velit
Arguere. Quòd proditio structa sit, pater;
Nisi Author est Eucherius, Authorem ar-
guat
Patrem, necesse est. Eucheri hoc unum
super,
Ut Cæsaris Clementiam implores, citò
Omnia fatendo. Plura non licet loqui
Cum proditore Cæsarum, ne in me cadat
Suspicio, tanquam sceleris atri complicem.

SCENA TERTIA.

Eucherius solus.

Aliquidne fraudis improbæ superest tibi
Fortuna semper perfida? anne omnes do-
los

Ad

Ad me premendum, & opprimendum colligis?
Ergo reus esse debeo, & tanti quidem
Et tam nefandi criminis; nisi patrem
Arguere malim? *Proditio structa est:* scio,
Thermantia ipsa prima detexit dolos,
Et Cæsar ipse consilia petiit mea.
Nisi Author est Eucherius, *Authorem arguas*
Patrem necesse est. - - Horror attonitum quatit,
Num fortè tacitas genitor insidias struit?
Num Stilico quid molitus est in Cæsarem?
Eheu! recordor trepidus, & mentem subit
Vox illa patris: *pergo, quo præceps furor,*
Amórque cogit concitum pectus patris.
Et illa rursus: *Eucheri tuâ interest.*
Ut nescias, quid moliar; *quamvis tui*
Amore cuncta molior. Timeo, sed heu!
Sed quid timere debeam, haud satis scio.
O fata! quid jam Eucherius infelix agam?
Sileam, loquárve? Forsitan prodo patrem.
Si me innocentem affirmo; sin verò reum
Me simulo, prodo Cæsarem: nam si pater
Insons habetur, fortè perficiet dolos,
Si quos parare est ausus. O luctam gravem!
Quidquid ago, pecco, seû sileo, seu loquor,

Objicio

Objicio morti Cæsarem, aut patrem impius.
De proprio etenim capite sollicitus parùm
In fata ruerem promptus, ubi nostra nece
Servare possem Cæsarem, & patrem simul.

SCENA QUARTA.

Honorius. *Eucherius.* *Lucilius.* *Aula reliqua.*

Honor. Ades scelestùm, perfidum, ingratum caput;
Impure raptor Virginum, latro Cæsarum.
Tuúmne noscis judicem? Edic proditor,
Edic, quid unquam Cæsar Eucherio mali
Vel intulit, vel voluit? aut quonam, doce,
Quo provocavit crimine ultricem manum
Augustus in se? Quo scelere merui necem
Tua inferendam dextera? Hoc nempe unicum,
Quòd te nimis dilexerim, feci scelus.
Quòd proditorem fovit hoc pectus meum,
Hinc proditoris meruit à ferro peti.
Responde. Judex quærit, & Cæsar jubet.

Quid

Quid mutus hæres? Ergo tam timida tibi
Eſt lingua, cuî tam prompta, támque audax manus
Paulò antè fuerat? dedecèt heroum genus
Pallor, timórque: námque, qui audet Cæſarum
Sceptra, & ſorores rapere, frontem ferream
Pectúsque geſſet calybe magè durum, decet.
Loquare. Vel, ſi poteris, excuſa ſcelus.
Habes faventem Judicem cauſæ tuæ.
Euch. Nemo paratos Cæſarum in caput dolos
Excuſat: omnem ſuperat hoc veniam ſcelus.
Id ſi paravit perfida Eucherii manus,
Pereat, nec una morte. Facinus tam horridum
Poſcit cruorem, Cæſar, & lubens dabit
Eucherius omnem ſanguinem, ſi ſit reus.
Honor. Si ſit reus? Num crimen objectum negas?
Euch. Quo teſte, vèl quonam indice probatur ſcelus?
Honor. Quo teſte, vel quonam indice? Illo ſcilicet
Scelus probatur indice fideli, cui
Ne pateat ad nos aditus, Auguſti latus
Stipare ſemper voluit Eucherius, nimis
Pro Cæſaris ſalute ſollicitus. Caput
Dolis refertum! Nempe ſic pro mè manum
Et pectus objicis? ita per latus tuum
Latus petendum Cæſaris? tuum priùs
Fundat neceſſe ſanguinem, ſi quis meum

 Auſit

Ausit stitire sanguinem? quid denuo
Hæres silens? loquare; dum scelus nequis
Negare, saltem sceleris excusa modum.
Dic, te putâsse barbaro dandam thoro,
Quam deperibas ipsus Augustam manum
Nostræ sororis; hinc (ut est præceps amor,
Dolórque juvenum,) te nimis cœco impetu,
Mentísque non sat compotem in fratris necem
Armâsse dextram: denique furores tuos
Omnes amori tribue violento nimis.
Euch. Fateor, amavi, Cæsar, & amavi nimis
Temerariè. *Honor.* Ergo gratiam supplex rogas,
Dolésque? *Euch.* De quo crimine? *Honor.* Insolens caput!
Abuteris clementia Augusti nimis.
Examinate vosmet Eucherium duces,
Et Manliano more: nam in causa mea
Nolo esse Judex. Quærite inprimis tamen
Facinoris atri complices, quos impius
Hic parricida, non dubito, plures habet.

SCENA

SCENA QUINTA.

Honorius. Thermantia.

Therm. Auguste conjux ; si tamen adhuc conjugem
Agnoscis in sorore malefausti nimis
Eucherii, & - - *Hon.* Ah! Augusta, parce vulneri
Novum addidisse vulnus. Est satis miser
Honorius, dum perdere illum cogitur,
Quem dudum amavit unicè, & fratris loco
Habere tecum voluit ; an conjux quoque
Perdenda sit? *Ther.* Si frater est tanti reus
Facinoris, etiam Cæsaris thoro soror
Indigna porrò est. *Hon.* Parce, nil fratris scelus
Tangit sororem. Chara mihi Thermantia,
Charúsque semper Stilico, quin & ipsemet
Eucherius etsi perfidus, necdum tamen
Deletus animo Cæsaris. *Ther.* Juvenis miser!
In tam benignum Cæsarem ingratam manum
Ut stringeret, quis compulit tandem furor?
Hon. Nempe in furorem transiit præceps amor,

Non opperiri potuit optatos dies,
Finémque belli: eripere sceptrum Cæsari,
Ut obtineret promptiùs sponsæ manum,
Tentavit audax, & nimis præceps amans.
Ther. Est, fateor, audax semper, & præceps amor;
De fratre tamen hoc crimen infandum soror
Vix credere audet. *Hon.* Argues ergo patrem?
Therm. Et cur Patrem mox arguam, si filium
Credo innocentem? *Hon.* Perlege hanc chartam. *Ther.* Nisi
Fallor, character est idem, atque eadem manus,
Quæ prima scripsit chartulam oblatam mihi.
Hon. Idémque fidus sceleris index, qui priùs
Ad te, modò ad me literam arcanam dedit.
Lege modò. *Ther. legit.* *Quando proditor latus tuum*
Auguste, stipat sedulus, coràm nequit
Se sistere index sceleris: ut scias tamen,
A quo cavere debeas: fraude impia
Thorus sororis petitur, & fratris thronus.
Hon. Num verba non sat clara? non produnt reum
Etsi tacetur nomen? ad latus meum . . . .
Quis hæsit adeò sedulus? quis indicem
Audire

Audire solum vetuit? aut quis denique
Thorum sororis ambit? *Ther.* Heu! video
satis,
Si charta verum nuntiat - - *Hon.* Igitur
ambigis
An charta verum nuntiet? tamen ipsamet
Prima omnium detexeras latens scelus,
Prima monuisti, Cæsari insidias strui,
Ther. Ita est. Monebam prima; sed nempe in tuo
Conjux, periclo credula nimiùm fui,
Et timida; nunc, dum fratris, & patris
salus,
Ac fama premitur, de fide ignotæ manûs
Dubitare saltem liceat. *Honor.* - - Ah utinam & mihi
Dubitare saltem liceat, an verum scelus,
Fictúmve; sed nec ipsus Eucherius nefas
Audet negare. *Therm.* Fassus ergo se reum
est?
Hon. Negare dum non ausus est. Silentium,
Pallor, timórque prodidit mentem ream.
Therm. Suspende saltem fulmen, & justam
licèt
Sententiam, dum clariùs seriem rei
Exponet index, quisquis is demum fiet.
Hon. Coràm brevì se sistet hic index, ubi
Audiverit custodiæ Eucherium datum
Abesse nostro à latere; sed malim tamen
Eucherius ipse cuncta fateatur prior.

Et ſponte ſupplex Cæſaris clementiam
Studeat mereri. *Therm.* Gratiæ an locus ſuper
Reo fatenti, & ſupplici? *Hon.* Hanc Honorius
Negare fratri conjugis amatæ nequit.
Fac, prodat - - aſt. En Stilico.

SCENA SEXTA.

Honorius. Thermantia, Stilico.

Hon. - , - Malefelix Pater,
Quem filium genuiſti? heu! quàm diſparem!
Stil. Ignoſce Cæſar, filius non eſt meus,
Neque Stilicone genitus eſt, quisquis tibi
Inferre non eſt veritus audacem manum.
Abjuro nomen Patris, Eucherium nego
Meum eſſe ſanguinem. Interim, ſi quid tamen
Stilico fidelis meruit, unam poſtulat
Auguſte ſupplex gratiam. *Hon.* Vitam Eucheri,
Stil. Minimè, ſed aliud Stilico ter ſupplex rogat:
Diſcedere aulâ liceat, & Româ procul
Mœſta inter antra claudere extremos dies.
Hon. Diſcedere aulâ Stilico? *Stil.* Non ultra poteſt
Animus probrum perferre, quod nati ſcelus

Etſi

Etsi innocenti semper intulit patri.
Me Roma tota lumine infenso notat,
Et proditoris impii clamat patrem.
Therm. Et me sororem. Utrique commune
hoc probrum.
Hon. Erras, amate Stilico: nil nati scelus
Tangit parentem. Præstita hactenus fides
Detersit omnem labis hæsuræ notam,
Et Roma, quamvis horret Eucherii scelus,
Magis tamen Stiliconis extollit fidem.
Stil. Auguste, vota repeto: post tantum
meo
Dedecus inustum stemmati, haud fero ci-
vium
Oculos, & ora. Pedibus affundor tuis,
Depono lauri decora, solvocingulum,
Et militaris Imperî reddo notas.
Procul aulâ, & Urbe dissitas mundi pla-
gas
Peto, futurus exul æternùm miser.
Therm. Sequar parentem filia. Augustum
thorum,
Thronúmque linquo, indigna thalamo
Cæsarum.
Hon. Sic deserent Honorium conjux? Pa-
ter?
Ah Chare Stilico, Chara Thermantia!
fide,
Dextráque vestra Cæsari nunc est opus
Quàm maximè. Instat hostis Augusto no-
vus,
Nec solus est Eucherius, in necem meam --

Sum ſolus. *Stil.* Anne hæc ſeriò? An ludis?
Attal. Nihil,
Ludo, nihilque fingo? ſic juro caput
Meum, meique regis. Index hic ſum ego.
Rullus. Et continemus dexteras? *Max.* Necdum cadis
Infande nimiùm proditor? *Sargus.* Ferrum hoc tua
Maleſane claudet guttura. *. *Stil.* Cohibeas manum.
Sed Attalus cur talia? *Attalus.* In veſtrum bonum,
Meique regis facta, quæ feci. Brevì
Plura explicabo. Ponite interim metum,
Et ſtate pacti, cuncta procedent bene.
Stil. Quid? Prodita à te cuncta procedent bene?
Attal. Et, ſi audeatis, cuncta procedent citò.

* *Irruunt in itlum duce, quos cohibet Stilico.*

SCENA OCTAVA.

Perſonæ, quæ priùs, accedit Lucilius.

Lucil. Miſerande Stilico! *Stil.* Quid gemis?
Lucil. Sortem tuam
Deploro: nempe tota jam jam Cæſari
Proditio, & Author criminis tanti patet.
Stil. Quis ergo hic Author ſceleris? *Lucil.* Eucherius tuus
Honorio jubente jam arctæ traditus
Cuſtodiæ. Succurre, ſi potes, parens,

Irám-

Irámque frœna Cæſaris ; ni filii
Velis videre ſanguinem hac adhuc die
Viliſſima carnificis effuſum manu.
Ego hinc recedens promptus Auguſtam peto,
Et de periclo fratris admoneo citus.

SCENA NONA.

Stilico. Attalus. Hudinus. Maxentius. Sargus. Rullus.

Stil. Hudine, Sarge, & Attale! quid hæc omnia?
Attal. Ad vota noſtra hæc omnia. Eucherii tui
Captivitas, ſi neſcias, opus eſt meum.
Stil. Captivitas mei Eucherii opus eſt tuum?
Sic filium, patrémque vis una die
Perire? vel quos cudis inſanus dolos?
Attalus Servare patrem, & filium, & regis mei
Simul ſalutem cupio. *Stil.* Prodendo cupis
Servare? *Attalus.* Sic eſt, ſervo, dum prodo. *Stil.* An igitur
Tu prodidiſti, & quomodo, Eucherium meum?
Quæve innocenti crimina affingis? *Attal.* Patris.
Plura explicabo poſtea. Interim vides
Præſens periclum Stilico: nam ſi filium
Non vis perire, perdere decet Honorium,
Et

Et perdere citò. Proditio tandem nequit
Diutiùs latere: quòd si filius
Se se innocentem Cæsari probet, patrem
Reum probabit Attalus. *Stil.* Ita ergo furis
In me, meósque? *Attal.* Parce, si cœpi aspera
Consilia; sed ad hæc indoles cogit tua.
Hactenus amâsti Cæsarem, & Romam nimis,
Neç ausus es complere, quæ promiseras
Regi meo, mihíque: reperi denique,
Quo stringere queam. Filium si liberum
Cupis, arma tandem corripe, armorum jam habes
Causam decentem: criminis nemo patrem
Porro arguet, si filium insontem juvet.
Hudin, Sic est, verende Stilico, nostra promovet
Molimina hæc captivitas nati tui.
Exercitus amat omnis Eucherium unicè,
Hunc si audiant in vincula ab Honoriô datum,
Et innocentem carcere indigno premi,
Quanto furore in Cæsarem insurgent duces,
Manúsque tendent vindices nato, & patri.
Max. Hæc fama mox per castra vulganda est, tuum
Vinclis teneri filium. *Sargus.* Prior omnium
Hoc nuntium ferale Romanis feram.
Stil. Ite, atque ubique spargite irarum faces.

Jam

Jam video: fata Cæsaris necem volunt,
Sequamur ergo fata. Vicisti Attale,
Audebit hodie Stilico, quod dudum petis.
Attal. Fac, quod placebit. Cæsarem, vel filium,
Vel te perire coget hæc præsens dies.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Eucherius. Tribunus. Satellites.

TRib. Jam de tribunal Cæsaris vocat, Eucheri.
Hîc operire judicem. *Euch.* Me Cæsaris
Vocat tribunal? Quis reos nos arguit?

SCENA SECUNDA.

Accedit Lucilius.

Lucil. Ah Eucheri! *Euch.* Ah amice! quid rerum, obsecro,
Molitur aula? compedes has cur gero?
Lucil. Miraris? hasce compedes ipsus tibi
Malè fauste cudis. Heu! nimis præceps amor
Ad quod scelus te compulit? *Euch.* Cujus, doce,
Cujus, amice, criminis reus arguor?

Lucil.

Lucil. Placidia rapta, Cæsar ejectus throno,
Vitáque, nunquid levia sunt hæc crimina?
Euch. Quis hæc patravit crimina? *Lucil.* Eucherii furor
Patrare saltem statuit. *Euch.* Hoc de me scelus
Amice credis? Credit hoc Cæsar? Pater?
Placidia? tantum crimen Eucherium premat?
Quis audet ista fingere? *Lucil.* Ah! utinam foret,
Credive fictum posset hoc crimen! sed hêu!
Frustra negare tentat Eucherius dolos,
Malásque fraudes Cæsaris structas throno;
Nisi Parentem filius reum velit
Arguere. Quòd proditio structa sit, pater;
Nisi Author est Eucherius, Authorem arguat
Patrem, necesse est. Eucheri hoc unum super,
Ut Cæsaris Clementiam implores, citò
Omnia fatendo. Plura non licet loqui
Cum proditore Cæsarum, ne in me cadat
Suspicio, tanquam sceleris atri complicem.

SCENA TERTIA.

Eucherius solus.

Aliquidne fraudis improbæ superest tibi
Fortuna semper perfida? anne omnes dolos

Ad

Ad me premendum, & opprimendum colligis?
Ergo reus esse debeo, & tanti quidem
Et tam nefandi criminis; nisi patrem
Arguere malim? *Proditio structa est:* scio,
Thermantia ipsa prima detexit dolos,
Et Cæsar ipse consilia petiit mea.
Nisi Author est Eucherius, *Authorem arguas*
Patrem necesse est. - - Horror attonitum quatit,
Num fortè tacitas genitor insidias struit?
Num Stilico quid molitus est in Cæsarem?
Eheu! recordor trepidus, & mentem subit
Vox illa patris: *pergo, quo præceps furor,*
Amórque cogit concitum pectus patris.
Et illa rursus: *Eucheri tuâ interest.*
Ut nescias, quid moliar; quamvis tui
Amore cuncta molior. Timeo, sed heu!
Sed quid timere debeam, haud satis scio.
O fata! quid jam Eucherius infelix agam?
Sileam, loquárve? Forsitan prodo patrem.
Si me innocentem affirmo; sin verò reum
Me simulo, prodo Cæsarem: nam si pater
Insons habetur, fortè perficiet dolos,
Si quos parare est ausus. O luctam gravem!
Quidquid ago, pecco, seû sileo, seu loquor,

Objicio

Objicio morti Cæsarem, aut patrem impius.
De proprio etenim capite sollicitus parùm
In fata ruerem promptus, ubi nostra nece
Servare possem Cæsarem, & patrem simul.

SCENA QUARTA.

Honorius. Eucherius. Lucilius. Aula reliqua.

Honor. Ades scelestùm, perfidum, ingratum caput;
Impure raptor Virginum, latro Cæsarum.
Tuúmne noscis judicem? Edic proditor,
Edic, quid unquam Cæsar Eucherio mali
Vel intulit, vel voluit? aut quonam, doce,
Quo provocavit crimine ultricem manum
Augustus in se? Quo scelere merui necem
Tua inferendam dextera? Hoc nempe unicum,
Quòd te nimis dilexerim, feci scelus.
Quòd proditorem fovit hoc pectus meum,
Hinc proditoris meruit à ferro peti.
Respónde. Judex quærit, & Cæsar jubet:

Quid mutus hæres? Ergo tam timida tibi
Eſt lingua, cuî tam prompta, támque audax manus
Paulò antè fuerat? dedecèt heroum genus
Pallor, timórque: námque, qui audet Cæſarum
Sceptra, & ſorores rapere, frontem ferream
Pectúsque geſtet calybe magè durum, decet.
Loquare. Vel, ſi poteris, excuſa ſcelus.
Habes faventem Judicem cauſæ tuæ.

Euch. Nemo paratos Cæſarum in caput dolos
Excuſat: omnem ſuperat hoc veniam ſcelus.
Id ſi paravit perfida Eucherii manus,
Pereat, nec una morte. Facinus tam horridum
Poſcit cruorem, Cæſar, & lubens dabit
Eucherius omnem ſanguinem, ſi ſit reus.

Honor. Si ſit reus? Num crimen objectum negas?

Euch. Quo teſte, vèl quonam indice probatur ſcelus?

Honor. Quo teſte, vel quonam indice? Illo ſcilicet
Scelus probatur indice fideli, cui
Ne pateat ad nos aditus, Auguſti latus
Stipare ſemper voluit Eucherius, nimis
Pro Cæſaris ſalute ſollicitus. Caput
Dolis refertum! Nempe ſic pro mè manum
Et pectus objicis? ita per latus tuum
Latus petendum Cæſaris? tuum priùs
Fundat neceſſe ſanguinem, ſi quis meum

Ausit sitire sanguinem? quid denuo
Hæres silens? loquare; dum scelus nequis
Negare, saltem sceleris excusa modum.
Dic, te putâsse barbaro dandam thoro,
Quam deperibas ipsus Augustam manum
Nostræ sororis; hinc (ut est præceps amor,
Dolórque juvenum,) te nimis cœco impetu,
Mentísque non sat compotem in fratris necem
Armâsse dextram: denique furores tuos
Omnes amori tribue violento nimis.
Euch. Fateor, amavi, Cæsar, & amavi nimis
Temerariè. *Honor.* Ergo gratiam supplex rogas,
Dolésque? *Euch.* De quo crimine? *Honor.* Insolens caput!
Abuteris clementia Augusti nimis.
Examinate vosmet Eucherium duces,
Et Manliano more: nam in causa mea
Nolo esse Judex. Quærite inprimis tamen
Facinoris atri complices, quos impius
Hic parricida, non dubito, plures habet.

SCENA

SCENA QUINTA.

Honorius. Thermantia.

Therm. Auguſte conjux ; ſi tamen adhuc conjugem
Agnoſcis in ſorore maleſauſti nimis
Eucherii, & - - *Hon.* Ah! Auguſta, parce vulneri
Novum addidiſſe vulnus. Eſt ſatis miſer
Honorius, dum perdere illum cogitur,
Quem dudum amavit unicè, & fratris loco
Habere tecum voluit ; an conjux quoque
Perdenda ſit? *Ther.* Si frater eſt tanti reus
Facinoris, etiam Cæſaris thoro ſoror
Indigna porrò eſt. *Hon.* Parce, nil fratris ſcelus
Tangit ſororem. Chara mihi Thermantia,
Charúſque ſemper Stilico, quin & ipſemet
Eucherius etſi perfidus, necdum tamen
Deletus animo Cæſaris. *Ther.* Juvenis miſer!
In tam benignum Cæſarem ingratam manum
Ut ſtringeret, quis compulit tandem furor?
Hon. Nempe in furorem tranſiit præceps amor,

Non opperiri potuit optatos dies,
Finémque belli: eripere sceptrum Cæsari,
Ut obtineret promptiùs sponsæ manum,
Tentavit audax, & nimis præceps amans.
Ther. Est, fateor, audax semper, & præceps amor;
De fratre tamen hoc crimen infandum soror
Vix credere audet. *Hon.* Argues ergo patrem?
Therm. Et cur Patrem mox arguam, si filium
Credo innocentem? *Hon.* Perlege hanc chartam. *Ther.* Nisi
Fallor, character est idem, atque eadem manus,
Quæ prima scripsit chartulam oblatam mihi.
Hon. Idémque fidus sceleris index, qui priùs
Ad te, modò ad me literam arcanam dedit.
Lege modò. *Ther. legit. Quando proditor latus tuum*
Auguste, stipat sedulus, coràm nequit
Se sistere index sceleris: ut scias tamen,
A quo cavere debeas: fraude impia
Thorus sororis petitur, & fratris thronus.
Hon. Num verba non sat clara? non produnt reum
Etsi tacetur nomen? ad latus meum
Quis hæsit adeò sedulus? quis indicem
Audire

Audire solum vetuit? aut quis denique
Thorum sororis ambit? *Ther.* Heu! video
satis,
Si charta verum nuntiat - - *Hon.* Igitur
ambigis
An charta verum nuntiet? tamen ipsamet
Prima omnium detexeras latens scelus,
Prima monuisti, Cæsari insidias strui,
Ther. Ita est. Monebam prima; sed nempe in tuo
Conjux, periclo credula nimiùm fui,
Et timida; nunc, dum fratris, & patris
salus,
Ac fama premitur, de fide ignotæ manûs
Dubitare saltem liceat. *Honor.* - - Ah utinam & mihi
Dubitare saltem liceat, an verum scelus,
Fictúmve; sed nec ipsus Eucherius nefas
Audet negare. *Therm.* Fassus ergo se reum
est?
Hon. Negare dum non ausus est. Silentium,
Pallor, timórque prodidit mentem ream.
Therm. Suspende saltem fulmen, & justam
licèt
Sententiam, dum clariùs seriem rei
Exponet index, quisquis is demum siet.
Hon. Coràm brevì se sistet hic index, ubi
Audiverit custodiæ Eucherium datum
Abesse nostro à latere; sed malim tamen
Eucherius ipse cuncta fateatur prior.

Et sponte supplex Cæsaris clementiam
Studeat mereri. *Therm.* Gratiæ an locus
super
Reo fatenti, & supplici? *Hon.* Hanc Honorius
Negare fratri conjugis amatæ nequit.
Fac, prodat - - ast. En Stilico.

SCENA SEXTA.

Honorius. Thermantia, Stilico.

Hon. - , - Malefelix Pater,
Quem filium genuisti? heu! quàm disparem!
Stil. Ignosce Cæsar, filius non est meus,
Neque Stilicone genitus est, quisquis tibi
Inferre non est veritus audacem manum.
Abjuro nomen Patris, Eucherium nego
Meum esse sanguinem. Interim, si quid
tamen
Stilico fidelis meruit, unam postulat
Auguste supplex gratiam. *Hon.* Vitam Eucherî,
Stil. Minimè, sed aliud Stilico ter supplex
rogat:
Discedere aulâ liceat, & Româ procul
Mœsta inter antra claudere extremos dies.
Hon. Discedere aulâ Stilico? *Stil.* Non ultra potest
Animus probrum perferre, quod nati scelus

Etsi

Etsi innocenti semper intulit patri.
Me Roma tota lumine infenso notat,
Et proditoris impii clamat patrem.
Therm. Et me sororem. Utrique commune
hoc probrum.
Hon. Erras, amate Stilico: nil nati scelus
Tangit parentem. Præstita hactenus fides
Detersit omnem labis hæsuræ notam,
Et Roma, quamvis horret Eucherii scelus,
Magis tamen Stiliconis extollit fidem.
Stil. Auguste, vota repeto: post tantum
meo
Dedecus inustum stemmati, haud fero ci-
vium
Oculos, & ora. Pedibus affundor tuis,
Depono lauri decora, solvo cingulum,
Et militaris Imperî reddo notas.
Procul aulâ, & Urbe dissitas mundi pla-
gas
Peto, futurus exul æternùm miser.
Therm. Sequar parentem filia. Augustum
thorum,
Thronúmque linquo, indigna thalamo
Cæsarum.
Hon. Sic deserent Honorium conjux? Pa-
ter?
Ah Chare Stilico, Chara Thermantia!
fide,
Dextráque vestra Cæsari nunc est opus.
Quàm maximè. Instat hostis Augusto no-
vus,
Nec solus est Eucherius, in necem meam --

SCENA SEPTIMA.

Honorius. Thermantia. Stilico. Lucilius.

Lucil. Auguste. *Hon.* Quid fatetur infelix reus?
An nominavit complices? *Lucil.* Præter patrem --
Stil. Quid? nominavit complicem sceleris patrem?
Lucil. Absit; sed hoc affirmo, quòd præter patrem
Nemo movere possit Eucherium satis,
Ut prodat ultro sceleris atri complices:
Ad cuncta námque pertinax reus silet
Interrogata. Nil nisi mortem petit,
Utque caveamus Cæsari, efflictim monet.
A quo tamen caveamus, aut quis conscius
Sit cogitati criminis, prodit nihil.
Hon. Huc attrahatur pertinax. Fidem tuam
Imploro, Stilico, filii mentem pater
Tam pertinacem flecte: fac prodat fabrum
Fraudis nefandæ, complices prodat suos.
Per sceptra juro: feriet hos solos furor,
Natúmque reddet liberum Cæsar tibi.

Therm.

Therm. Commendo pariter filia Eucherium patri,
Fratrémque conjux conjugi cedo interim.

SCENA OCTAVA.

Honorius. Stilico. Eucherius. Comitatus &c.

Scena exhibet cubile nigris tapetibus obductum, sellas Judicum &c. Eucherium in humili scabello, nudato capite & vinclis onustum &c.

Stilico. O scena rerum tristis! ô nimium potens
Natura! quàm te colimus inviti quoque!
Frustra laboro expellere ex animo patrem,
Abjuro frustra filium. Eucheri! mea
Quondam suprema gloria; at modò pudor,
Probrúmque stirpis inclytæ, quis te furor
Aut quæ te Erynnis agitat? Hæcne te pater
Docuit, cruento petere ferro Cæsares,
Thronos, thorósque invadere rebelli manu?
Euch. Semper vereri Cæsarem a patre didici.
Hon. Quis ergo tam salubre documentum patris
Sprevisse docuit? pande malesanum doli
Tandem magistrum. - - Cedite hinc omnes procul.
Soli loquatur solus Eucherius patri.

SCENA NONA.

Stilico. Eucherius.

Stil. Sumúsne ſoli? ô nate, quot curas tuæ
Creas parenti! *Euch.* Num minus curæ parens
Suo creavit filio? Ah pater optime.
Ah! quid parabas, vel quid etiamnum paras?
Stil. Ah! quid parabam? nempe te, fili, nimis
Parens amabam: Cauſa tu ſola es mali,
Quod noſtrûm utrumque, & Cæſarem, & Romam premit
Es cauſa repeto, ſola præſentis mali:
Quamquam, fatebor, innocens ſis, & pius.
Tempus docebit plura: nunc brevis mora
Narrare cuncta prohibet, & tuâ intereſt,
Ut neſcias, quid moliar. Id unum rogo
Amate fili, patere te credi reum,
Unam per horam crimina parentis tibi
Patere imputari, præmium dignum tua
Virtute referes. *Euch.* Dura depoſcis parens,
Sed filialis dura non renuit amor.
Occumbe promptus Eucheri, & lubens cade
Pro Patre victima. Expiet meus cruor,
Quod patris in me nimius auſus eſt amor.

Occum-

Occumbe promptus Eucheri. *Stil.* Cessa, obsecro,
Mortis nefastos apage sis fili sonos.
Non postulo, ut moriaris, ut vivas volo,
Vivásque felix: perbrevis superest mora,
Qua vincla gestas; liberum faciet brevì,
Imò beatum providus pro te parens.
Parata cuncta. *Euch.* Cæsaris nempe in necem?
Hac cæde natum liberum faciet parens?
Stil. Utinam supersit alius, & melior modus;
Sed fata cogunt. *Euch.* Fata non cogunt scelus
Ullum patrare. Jam audias, velim pater,
Extrema verba filii: Promptus meum
Pro te cruorem fundo, me credi reum
Quamvis nefandi criminis, patiar lubens,
Vitam, atque famam prodigo, ut vitam patri
Famámque servem: sed, si in Augustum manus
Injicere tentat Stilico, si nato velit
Servare vitam Cæsaris amati nece;
Juro per astra, juro per regem poli,
Et per Placidiæ nomina mihi sacerrima,
Ego ipse tandem primus Augusto scelus
Dolósque pandam. Prodere vel ipsum patrem
Audebo citiùs, quâm feram scelere novo
Fundi cruorem Honorii. *Stil.* O dignum patre

Feliciore filium! ô mentem piam,
Fidámque nimium! suggere Eucheri nova
Consilia, queîs & Cæsarem & natum simul
Servare possim, Juro, quod suades, sequar.
Euch. Esto fidelis Cæsari, & natum suis
Relinque fatis. *Stil.* Téne, fili, deseram?
Non, non. Per astra juro: me, me ipsum prior
Fatis cruentis immolo: memet reum
Jam nunc fatebor Cæsari. *Euch.* Ah! sistas pater,
Duris volentem me immori fatis sine.
Stil. Tibi, mihíque consulam, ô fili, sine.

SCENA DECIMA.

Honorius. Stilico. Eucherius. Lucilius. Comitatus &c.

Honor. Tandémne patri prodidit natus reos?
Stil. Oppugno frustra pertinax nimis caput,
Ridet parentis monita, contemnit preces.
Hon. Superbe. Sic & Cæsari, & patri simul
Illudere audes? *Euch.* Cæsarem, & patrem simul

Re-

Revereor, *Hon.* Ergo pande, quod poscit pater,
Cæsárque, pande complices. Quis denique
Tecum ferox conjurat in nostrum caput?
Euch. Auguste, mecum nemo. Quod feci hactenus,
Feci ex amore, solus est complex amor.
Lucil. Tamen monebas ipse nos paulò antea,
Superesse plures Cæsari inimicas manus.
Euch. Superesse nullus dubito. Sat notum omnibus,
Plures in Aula pariter, & castris mihi
Fuisse amicos: plurimi, haud dubito, meæ
Captivitati condolent, & forsitan
Servare vitam Eucherio Honorii necè
Jam moliuntur plurimi. *Stil.* Hos inter parens,
Non dubito, primus fuerit, & pro filii
Tam strenui salute nil non impigrè
Audebit. En Auguste; Stiliconem cavè.
Patrem ipse natus arguit. *Hon.* Mitte, impero,
Indigna verba. Quando Stiliconis fidem
Argueret orbis integer, solus tuam
Damnare nunquam Honorius posset fidem.
Reduc ad antra carceris miles reum.
Lictor secures, ungulas, rotas, faces;
Et quidquid horridum invenit furor, paret.

Doce-

Docebo tandem pertinax caput loqui,
Et ora ſolvam.

SCENA UNDECIMA.

Honorius. Stilico. Lucilius.

H*onor.* - - Stilico, nil nato time.
Fingit furorem Cæſar, ut tutus queat
Vinclis ſolutum reddere Eucherium tibi,
En trado claves carceris: natum exime,
Tutóque, donec tranſeat Romæ furor,
Loco repone filium. In manu tua
Eſt tota, quamvis perfidi, Eucherii ſalus,
Natíque vitam donat Auguſtus patri.
Quid obſtupeſcis? fateor, haud de me tuus
Eucherius iſta meruit; at meruit tua
Pietas, Fidésque. Repeto, vinclis exime,
Tutáque ſubduc filium infauſtum fugâ.
Stil. Egóne, Cæſar, vinculis ſolvam impium,
Et perduellem? Parricidalem manum,
Læſæque Majeſtatis Auguſtæ ream
Abſolvat ipſe Stilico? Parce nomini,
Parce Stiliconis gloriæ. Nunquam audiet
Hoc Roma de me, Cæſarum hoſtem, dextera
Mea adjuvante, liberum hac aurâ frui.
Lucil. Quamvis ſit hoſtis Cæſarum Eucherius; tamen

Tuus

Tuus ille adhuc eſt filius. Nato pater
Opem negabit ultimam *Stil.* Abjuro patrem,
Pereat, nec una pereat Eucherius nece,
Nihil movetur Stilico, jam exuit patrem.
Lucil. Sat jam dediſti Stilico virtuti tuæ;
Nunc aliquid etiam, & jure, naturæ dabis,
Ipſo annuente Cæſare. *Honor.* Hanc teſtor manum
Semper fidelem, Cæſari obſequium facis,
Plus, quàm tibi ipſi, vinculis natum eximens,
Ne cogar hunc damnare, quem, licèt reum,
Odiſſe nequeo. *Stil.* Auguſte, ſemper nutibus
Pendere ſuevit Stilicò ter promptus tuis;
Sed deprecari cogor obſequii genus;
Quod poſcis hodie, gloriæ infenſum meæ,
Meæque famæ: nam quid orbis integer,
Quid Roma de me crederet, ſi per meam
Opem ſolutum vinculis ſciret reum,
Et proditorem Cæſarum, & Patriæ ſuæ?
Quis non haberet jure ſuſpectam fidem
Stiliconis? Aut quis crederet ab omni dolo
Sceleréque tacito filii immunem patrem?
Non non: amore patrio ſemper fuit
Mihi charior mea gloria, & fama integra.

Hæc

Hæc læſa tetro crimine Eucherii ſatis,
Ergo reparetur pariter Eucherii nece.
Palam docendus orbis, á nati improbi
Facinore diro quàm ſit immunis pater.
Hinc, Cæſar, unum Stilico per dextram tuam
A te precatur: publico Eucherium foro
Examinandum ſtatue: non ullum genus
Deſit pœnarum, vera dum tandem exprimas.
Ipſus ego præſens adero: ſi lentus reum
Torquere ceſſet carnifex, ipſus pater
Stringam cataſtas, ipſus accendam faces,
Ipſus ſecuri perfidum feriam caput.

SCENA DUODECIMA.

Honorius. Lucilius.

Lucil. O rigida virtus hominis! O nimia fides!
Honor. Hæc ipſa cogit Cæſarem tanti viri
Non perdidiſſe ſanguinem, & natum unicum.
Me ſequere: meditor conſilia, qua denique
Arte Stiliconis gloriam, & natum ſimul
Servare poſſim: námque plus pietas patris
Quàm crimen atrum filii Auguſtum movent.

ACTUS

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA

Thermantia. Lucilius.

THermant. Ex urbe Cæsar egredi hac hora parat,
Et clanculum? *Lucil.* Te consciam, & comitem viæ
Solam opperitur avidus. Hortorum ad fores
Parata jam lectica, quæ utrumque avehat.
Therm. Quid ergo de fratre agitur? An sententiam
Jam fulminavit Cæsar? *Lucil.* Imò, ne ipsemet
Sententiam feralem in Eucherii caput
Cogatur evibrare, discessum parat.
Procerum senatus interim causam rei
Dijudicabit, atque, quas leges jubent,
De perduelli capite pœnas exiget.
Therm. Amice patere, breviter ut fratri loquar.
Lucil. Augusta jubeat. Sisto præsentem illico. * *Abit Lucilius.*
Thermant. sola. Sed quid loquar malefausta? quod nequiit pater
A filio impetrare, num poterit soror

A fratre? Perdam verba, nec nisi novum
Mihi dolorem fratris aspectus fereti.

SCENA SECUNDA.

Thermantia. Eucherius. Lucilius.

Lucil. Augusta, quem vocaveras, coram vides.
Therm. Ad Cæsarem præcede, mox te subsequar.
Ah frater! ah miserande frater! quò furor
Amórque compulère præcipitem manum?
Hi nuptiales annuli, hi demum thori
Tibi parati, compedes, ferrum, rotæ?
Sic, quem Placidiæ stringere optabat manus,
Stringet hodie pudenda lictoris manus?
In hasne spes progenuit Eucherium suum
Serena? In has spes Stilico nutrivit? Sotor
Augusta fovit? Cæsar ad summa extulit?
Nempe ut nefandus proditor matrem, patrem,
Sponsam, sororem, Cæsarem, Romam integram
Invadere ausit parricidali manu?
Horresco misera: conjugem à fratris manu
Vix non videre debui occisum: & modò
Debebo fratrem cernere infami manu

Carni-

Carnificis ad ferale supplicium rapi.
Hanc aream, quam calco, fraternus cruor
Respergct hodie. *Euch.* Levia nimirum doles
Augusta: necdum, video, sat patent tibi
Causæ doloris maximæ. Eucherii caput
Collo resectum minima pars luctûs tui.
Graviora metue: Conjugi, & patri cave,
Adhuc timendus proditor alius super,
Quem nulla claudunt vincla, nec carcer premit,
Qui fors cruorem spargere audebit, tibi
Fratris cruore jure pretiosum magis.
Therm. Scio, superesse Cæsari inimicas manus;
Tuique sceleris complices: hos Eucheri
Saltem sorori pandito: hoc à te petit
Augusta supplex. Gratiam certam tibi
A conjuge impetrabo, si fidus mihi
Jam detegas, quis ille seductor tuus,
Authórque sceleris: námque tam dirum nefas
Non sponte frater mente concepit: mala
Consilia stimulavêre juvenilem impetum.
Ille, ille sceleris Author, & magis reus,
Quám tu ipse, qui te fraudibus, queîs nescio,
Suasor malignus impulit ad atrum nefas.
Et hunc sorori detegas frater, rogo.
Hunc nosse solum cupio. Solus hic luet.
Euch. Augusta si quid sapiat, hoc solum volet

Nescire: nempe sceleris Authorem. Unicum
Hoc moneo: semper Cæsaris stipa latus,
Nullique fidas, ne quidem - *Ther.* cui?
Euch. Nemini.
Non plura dico. *Therm.* Adjuro, dictáque repeto;
Vitæ impetrabo gratiam, dum nomines
Vel unicum, qui Cæsari est hostis super.
Euch. Augusta, nimiùm debeo curis tuis,
Non pòsco vitæ gratiam, solùm hoc rogo:
Caveto vitæ conjugis, cave Honorio.
Therm. A quo cavere debeam, hoc ergo doce.
Quis hic timendus plurimùm est hostis mihi?
Euch. Quem suspicaris neutiquam. *Ther.* Quis denique?
Eloquere promptus. *Euch.* Eloqui pietas vetat,
Jubétque miserum potiùs Eucherium mori,
Quàm prodere - *Ther.* Et quem prodere pietas vetat,
Ubi de salute Cæsarum, & patriæ agitur?
Vel, si nec animum patria, nec Cæsar movent,
Si nil sororis intimùm afflictæ preces,
Nil vota sponsæ, nil timor mortis potest
In pertinacem, moveat infelix pater.
Hunc unico orbas filio, & tecum senem
Tra-

Trahis ad ſepulchrum, complices niſi detegas.
Per hujus ego chariſſimi canos patris,
Et per Placidiæ nomen obteſtor - - *Euch.* Soror
Auguſta, per chariſſimi canos patris,
Honorii per nomen obteſtor quoque
Ego te viciſſim; plura ne cogas loqui,
Et ſic loquendo perdere infauſtum patrem.
Therm. Patrem loquendo perdere Eucheri times?
Ah! falleris. Loquendo conſervas patrem.
Hoc urget unum Stilico, ſolùm hoc flagitat,
Sincerus ut loquaris. Ita vitam tibi
Servabis, ex qua vita dependet patris.
Euch. Jam nimia dixi, Auguſta. Repeto hoc unicum:
Caveto vitæ Cæſaris, cave Honorio,
Nullique fidas, ne quidem - *Ther.* Cui.
Euch. Nemini.
Non plura dico. *Therm.* Pertinax! ultra meis
Indigne curis, perge, jam cernis coram
Ferale pegma, cernis horrendæ necis
Parata jam inſtrumenta: quod nequiit ſoror
Exprimere, poterit carnifex, hic te loqui
Docebit; at tum ſera confeſſio nimis.

 SCENA

SCENA TERTIA.

Thermantia. Eucherius. Lucilius. Comites.

Lucil. Augusta, Cæsar urget impatiens iter,
Tu me sequaris Eucheri. *Euch.* Vale ultimum
Augusta soror. *Therm.* Ah frater! ah, tandem obsecro,
Resipisce, & ultima gratiæ hora dum fluit,
Supplex fatendo cuncta, sponsam, Cæsarem,
Patrem, sororem, & proprium serva caput.
Euch. Ut Cæsarem, patrémque, téque ipsam, soror,
Servem, silere debeo, & promptus mori.
Therm. Ergo morere impie, morere, & tecum simul
Sponsam, sororem, Cæsarem, matrem, patrem,
Stirpémque totam perfide ad tumulum trahe.
Euch. Vivat Placidia, vivat & Cæsar diu,
Vivat pater, sorórque! solus occidat
Eucherius. Hoc ô astra! moriturus precor:
Servate Cæsarem, patrémque; victimam
Pro utroque memet immolo. *Ther. sola.* O cor ferreum!
O me nefasto sydere in lucem editam!

Quid

Quid me thronus, quid Cæſarum thorus juvat,
Si Conjugis, fratrísve, forſan & patris
Sparſum cruorem cernere - -

SCENA QUARTA.

Thermantia. Stilico. Comites Stiliconis facibus, ſecuribus &c. armati.

Therm. - - - Ah pater optime!
Succurre nato, Cæſari, mihi, tibi,
Perimus omnes. *Stil.* Cedito Auguſta hinc procul.
Spectacla, quæ parantur, haud oculis tuis,
Præſentiáve jam indigent. *Ther.* Quid hæ faces?
Quid hoc tremendum poſcit armorum genus?
Stil. His expiabit filii crimen pater,
His vindicabit ſtemmati illatum probrum.
Therm. In filium iſta? *Stil.* Cedito Auguſta, obſecro,
Nihílque poſthac de impio Eucherio mihi.
Therm. De fratre ſileo, dum jubes; de conjuge
Silere nequeo: proditor adhuc eſt ſuper,
Adhuc ſuper, qui Cæſari inſidias ſtruat.
Ita ipſe monet Eucherius. *Stil.* Hanc curam exue.
Secretus hoſtis Cæſaris mihi patet,

 Arca-

Arcana detexi omnia. *Ther.* O quanto levas
Pavore mentem! porro jam curas graves,
Secura sum de conjuge meo, dum patri
Hostes patefcunt Cæsaris. *Stil.* Dixi, patent,
Et mox patebunt Cæsari, & tibi. Interim
Recede, quæso, nec moram cœpto injice.
Therm. Remitto cuncta providæ curæ patris,
Secura per te Honorii stabit salus,
Et forsan etiam fratris. *Stil.* Etiam de hoc potes
Sperare; nam nondum exui totum patrem.

SCENA QUINTA.

Stilico solus.

Infausta mulier! conjugem, aut patrem hac die
Cernes cruori proprio immersum; ast ita
Charissimi deposcit Eucherii salus.
O nate! Quid non immolat amori tuo
Amor parentis nimius? En! tibi immolo,
Generi cruorem, filiæ augustos thoros,
Romæ salutem, propriam, & tantam quidem,
Emptámque tot periculis famam. Imò, heû!
Heû fortè vitam, cœpta si fallat polus.

SCENA SEXTA.

Stilico. Sargus. Maxentius.

Sargus. Parata cuncta, Stilico, momentum super,
Ex hoc cruento pegmate ascendet thronum,
Orbísque sceptra capiet Eucherius tuus.
Vix contineri potuit in castris cohors,
Ubi paratam audivit Eucherio necem:
Námque innocentem perfidis aulæ dolis
(Me sic docente) credit Eucherium premi.
Max. Clamant feroces arma, corripiunt faces,
Et jam flagraret ignibus Romæ forum,
Palatiúmque Cæsaris foret cinis;
Nisi rogâssent parvulam duces moram:
Donec solutus carceris nigro specu
Eucherius ipse vindicem admoveat facem.
Stil. Tantâ feretis præmium dignum fide,
Quando in supremo steterit Eucherius throno.
Nunc cœpta porrò audite consilia: brevi
Sistetur hîc Eucherius, & tanquam reus
Examinandus publicè, tristi actui
Ipsus ego præsens adero, tanquam filii
Ulturus ipse crimina, & ferrum, & faces
Vibrabo; sed mox impetu verso in caput
Honorii, nil tale metuentem opprimam,

Et hoc mucrone ſpiritum, & ſimul thronum
(Quidquid reclamet animus) eripiam ferox.
Vos proſecuti ſtrenuè incœptum ducis
Mox convocato milite ad ſignum tubæ
Novum create Cæſarem Eucherium meum.
Sargus. Utinam brevì ſe ſiſtat hoc, Cæſar loco!
Ægrè fero moras.

SCENA SEPTIMA.

Perſonæ quæ priùs, accedit Attalus.

Attalus. - - Stilico, noſtin Cæſarem
Abitum parare ex urbe, & occultum quidem?
Vidi ipſe currum limina hortorum prope
Jam jam paratum. Veniet Auguſto comes
Auguſta ſola. *Sargus.* Stilico, ſubverſa omnia
Conſilia, ſi diſcedere ſinas Cæſarem.
Max. Vel exitum præcludere ex aula decet,
Vel prævenire. *Att.* Præveni abeuntem citus,
Confige pectus obvii, & tandem datam
Exſolve, ni ſis perfidus, Gothis fidem:
Vel, ſi moraris, Cæſarem accedo prior,
Et antequam diſcedat ex urbe, omnia

Arcana

Arcana pando: nempe Stiliconem reum
Molitionis improbæ ad bellum Gothos
Dudum incitâsse, literas, ceram, manum,
Exhibeo, queîs convinceris. Quin denique
Quidquid hodierna Stilico tentavit die,
Aperio, *Stilico.* Cesses Attale, nihil his opus
Urgere mentem in Cæsaris necem minis.
Satis parentem filio emendus thronus
Ad omne facinus stimulat: ut sceptrum ferat
Eucherius, audet omnia hæc demum manus.
Properate amici. Stilico, vel Cæsar cadat.

SCENA OCTAVA.

Personæ, quæ priùs, accedit Hudinus.

Hud. Stilico, triumpha, Cæsar hac dextra jacet,
Et hoc mucrone fossus: haud illum satìs
Lectica clausa texit, ex Urbe exitum
Paraverat; sed orbe jam toto exiit:
Ad ipsa nempe limina hortorum, ad latus
Tuæ sedentem filiæ & rheda abditum
Facto impetu confecit Hudini manus.
Stil. Hudine! Quid non debeo - - *Hud.* De his postea,

Nunc cœpta perfice. *Stil.* Ergo date fignum tubâ

Mox convocato milite fores carceris
Effringite, atque liberum vinclis patri
Adducite huc Eucherium, & hinc rectà ad Thronum.
Attalus. Ego, ut falutem Cæfarem novum meo
Abit Attalus. Meique regis nomine, paro, quæ decent.

SCENA NONA.

Honorius. Stilico. Hudinus. Lucilius. Milites.

Lucilius. Arma, Arma, fi quis Cæfari fidus fuper,
Arma, arma! Vindicate - *Hon.* Quisnam aulam furor
Exagitat? aut quid arma? quid tubæ fonus?
Hudin. Vivitne Cæfar? *Hon.* Vivo. Quis dubitat? *Stilic.* Dii!
Lucil. Hîc, hic tenemus perfidum. Hudinum preme,
Et ftringe miles vinculis. * *Hon.* Quid hoc rei?
Lucil. Nefcisne Cæfar facinus horrendum, impium?
Horrefco referens: nempe dum juffu tuo,
Méque comitante, regio curru abditus

* *Hudinum fugientem fequuntur milites.*

Lateri

Lateri sororis assidens Eucherius - *Stilico.*
Heû!
Quid asseris? clausus sororis ad latus
Curru sedebat regio Eucherius meus?
Hon. Nempe ut furenti subtrahat natum patri,
Et imminenti examini, ac pœnæ reum,
Hoc innocenti Cæsar est usus dolo:
Fratrem sorori credidit, tutum in locum
Procul avehendum, donec & patris furor,
Et ira Romæ cederet cum tempore
Placanda: sed jam porrò dic, quid accidit?
Lucil. Ferro latronis impii, Hudini, occidit.
Honor. Eucherius? *Lucil.* En! - -

SCENA DECIMA.

Personæ quæ priùs, accedit Thermantia.
Eucherius vulneratus, & portatus à 4. militibus.

Ther. Ah Cæsar! ah frater! Pater!
Hon. Miserande juvenis! talis Augusto redis?
Euch. Auguste, liceat ultimum dextræ osculum
Fixisse. Pro te victima, & lubens cado,
Meo cruore Cæsarem, & patrem simul
Servare si potuero, sat - - *Lucil.* Vox deficit.
Exhalat animam. *Hon.* Ah Eucheri! *Ther.* frater! *Lucil.* Jacet.


Stilico.

Stilico. Nunc, nunc vibrate fulmina irati
poli.
Et si quid orcus parere monstrorum potest;
Ad vindicandam filii eructet necem.
Sed vindicem quid invoco insanus polum?
Aut in quem? Heü! ipse filium occidi parens.
O Impie parens! Hósne tu nato thoros;
Hanc præparâsti purpuram? talem pater
Tandem creavit Cæsarem Eucherium?
Hon. Virum,
Nec miror, altus mente dimovit dolor.
Stil. Non, non: dolori tribuito, ô Cæsar, nihil;
Nihil furori. Solus infelix amor
Mente Stiliconem movit. Hudinus tibi
Mox explicabit plura, quæ nondum capis.
Hon. Quid explicabit ergo? *Stil.* Quod nempe innocens
Eucherius omnis sceleris, & Stilico reus
Authórque solus fuerit hodierna die
Tibi paratæ mortis, & rapti throni.
Honor. Quid loqueris? *Therm.* Horreo *Stil.* Debeo nato ultimum
Saltem hunc honorem; ne reus post funera
Credatur orbi; & jaceat infamis cinis,
Qui scelere solo patris oppressus jacet.
Nil porrò metuo; perdidi natum; parùm
Jam curo vitam propriam, & famam parùm.

Age

Age mucro, nati ſanguine innocuo rubens,
Hauri & nocentem, filio jungas patrem.
Hon. Cohibete dextram. *Stil.* Cæſar! ah! ſine, moriar.
Honor. Morieris; at, qua perfidos decet, manu
Morieris. Hinc abſtrahite, quam mortem petit,
Det perduelli carnifex. *Therm.* Triſtem diem!
Stilico. Infauſte nimis in filios amor patrum!

O. A. M. D. G.



OB-

OBSERVATIONES IN STILICONEM.

ARgumentum hoc ex eo potissimùm capite elegi, quòd inter personas hujus Tragœdiæ sit arctissimus nexus sanguinis, quem Aristoteles commendat tanquam aptissimum ad commiserationem excitandam: faciliùs quippe, & vehementiùs commovemur, cùm spectamus amicum ab amico premi, quàm inimicum ab inimico, aut indifferentem ab indifferente; præsertim si amicus patitur ab amico pariter summè invito, & reluctante. Sic in præsenti Tragœdia Stilico in Honorium, Cæsarem, clientem, & generum suum, sibi hucusque dilectissimum summè invitus, & pene coactus insurgit. Honorius Eucherium conjugis suæ fratrem, & sibi ipsi semper fratris loco habitum premere,& denique Stiliconem ipsum, quem ut parentem dilexerat, cogitur ad mortem damnare. Eucherius etiam eò adigitur, ut vel suam, vel patris, vel amantissimi Cæsaris necem exspectare debeat, denique & Thermantia in extremas angustias conjecta, quid, & an patri, an fratri an conjugi potissimùm timere debeat, ignorat. Atque hanc Tragœdiæ speciem Philosophus *patheticam* appellat, cùm quis proponitur vehementibus, & contrariis affectibus agitatus, qui in causa sunt, ut talis atrocia agat, & patiatur.

Scopus Tragœdiæ. Scopus verò Tragœdiæ hujus est docere, quàm noxius sit nimius parentum in filios suos amor,& per *timorem* & *commiserationem* erga infelicem patrem Stiliconem spectatorum animos à *simili*, affectione purgare. Dico *à simili*, non *æquali*. Etsi enim non sint inter Spectatores, qui filiorum amore eadem, quæ Stilico, atrocia moliri audeant, non tamen desunt, qui saltem tentari possunt, ut pro liberorum, vel familiæ splendore & commodo augendo, vel conser-

vando, à debita Dominis suis fide se nonnihil abstrahi patiantur. Non desunt fortè qui aliqua in suis muniis admittant, vel omittant, unde suorum emolumenta etiam cum Principis, aut reipublicæ, vel patriæ damno quærere arguantur. Atque hi omnes, etsi non æqualia, & tanta, quæ Stilico passus est, gravia tamen mala sibi, suisque filiis nimiùm amatis timenda agnoscent, discéntque salubri timore nimium in liberos amorem moderari.

Character Stiliconis. Stiliconem propono, qualem Historia describit, virum belli, & pacis artibus, & magnis in Romanum Imperium, & Cæsarem meritis illustrem: sed Vandalum simul, nec omnibus Patriæ suæ, tum adhuc barbaræ, vitiis carentem: vafrum nempe, & subinferocem, ac præcipitem, & de bono publico tamdiu duntaxat sollicitum, quamdiu per hoc & Domûs suæ potentiam firmandam credebat, ad id semper potissimùm intentus, ut Cæsari & Imperio se necessarium redderet. Honorium, cui pupillo tutor à Theodosio datus fuerat, contra hostes, & proditores alios egregia fide diu defendit, & ab hoc non ut tutor modò, aut socer, sed ut parens amatus eundem vicissim plurimùm diligebat, sed magis, & nimis Eucherium. Atque hic præcipuè vitiosus amor in alia demum, eáque gravissima scelera infelicem, & improvidum patrem sensim detraxit. Dico sensim: non enim subita & spontaneâ improbitate, sed penè coactus ad tam atrocia consilia descendit. Sollicitavit quidem Gothos ad invadendam Italiam: nondum tamen eo animo, ut vel Romam vel Honorii thronum everteret, sed ut ipse exponit in Actus primi scena quinta

Pro filii
Meliore sorte bella credebam miser
Aptissima; hinc ad arma pellexi Gothos
Quocunque pacto. Cæsarem, & Romam metu
Concutere volui, ut tutior staret Domus
Stiliconis: at rebellio, armáque publica

In Cæsarem stringenda nunquam seriò
Placuêre: semper horrui tantum scelus &c.

Itaque hoc ipsum fœdus improvidum damnat, & quantùm potest, retractat, sed serò. Ad necem verò Honorio inferendam adduci nullo modo potest, nisi dum consilium aliud superesse nullum videt, quo vel propriam, vel Eucherii necem, & infamiam valeat evitare: in quo quidem adhuc est improbus; sed ita, ut non omnem in spectantium animis commiserationem hæc quasi coacta improbitas extinguat.

Character Eucherii. Parente probus magis est filius, & paternæ proditionis ignarus. Quin videbitur fortasse aliquibus nimium probus à me in scenam inductus Eucherius, quem historici impium, Ethnicæ superstitioni addictissimùm, & Christiani nominis juratum hostem describunt: verùm in hac Tragœdia de Religione non agitur: itaque nec tempus, nec occasio, minus necessitas erat, ut hæc vitia in scenâ se proderent. Fides verò in Cæsarem, & amor in parentem virtutes sunt, quas & in Ethnicis, & cæterà improbis invenimus. Novit tamen Cœlum Eucherii vitia, & per ejusdem mortem cruentam non patria modò crimina in filio, sed & Ecclesiam spretam in eodem Eucherio justissimè vindicavit.

Character Honorii. Honorium diversis omnino coloribus diversi illius ævi scriptores depingunt. Ethnici illum ut ignavum, & stupidum denigrant, nempe odio in Religiosum Imperatorem agitati; Christiani ut optimum principem propugnant, à religione tamen magis quàm ab armis, quæ nunquam induerat, laudandum. Hinc & ego Honorium, ut pium potius, & mansuetum, quam acrem aut admodum perspicacem Principem propono. Certé Stiliconi nimiùm fidit, dum nec suspicionem ullam de ejusdem proditione in tam periculosis circumstantiis admittit, cujus tamen fiduciæ rationem dat in Actus tertii scena tertia:

Anne Honorium putas
Malè

Malè suspicari posse de Socero suo,
Imò Parente? semper invicta fide
Per tot pericla, mille per tela hostium
Tutor Clienti sceptra servâsti pius,
Et suspicari potero quid de te mali,
Dum regno Cæsar dextera factus tua?

Character Attali. Attalus legati nomen gerit, exploratoris officium agit, quod apud barbaros non insolitum. Sic legatus à Mithridate ad Pompejum missus Cicerone teste ab aliis quidem legatus, ab aliis explorator est judicatus. Alia Attalus cum Cæsare, alia cum Cæsaris ministro tractat, ut utrumque turbet, in turbido piscaturus, Digna, an indigna persuadeat, modò in Principis sui bonum cedant, parùm curat vafer, & ferox Gothus, & ad Alarici sui genium compositus. Quæret tamen fors quispiam, cur in scena ultima, ubi reliquæ personæ omnes conveniunt, solum patiar Attalum deesse? Respondeo: non habuit, cur ibi se ostenderet, sed si sapuit, latere quæsiit, & clam Româ ad Alaricum rediit: quod cùm factum esse spectator ipse divinare facilè possit, necesse non fuit in scena exponere.

De unitate Actionis. Unitatem actionis Petrus Cornelius ex Aristotele statuit in unitate periculi, quod Heros Tragœdiæ subit, sive eidem succumbat, sive evadat. Hæc tamen periculi unitas, ut idem explicat, non excludit plura pericula, modò inter se ita sint connexa, ut heros ex uno non plenè evadat, quin ex hoc ipso in aliud necessariò incidat. Sic Stilico in Actu primo periclitatur de perdenda Placidia, & spe Imperii; quod per hæc sponsalia, & bellum cum Gothis filio quærebat: dum Attalus Honorio fœdus offert, & Placidiam pro Alarico petit. In Actu secundo videtur sibi ex hoc periculo emersisse, dum Cæsar non Alarico sed Eucherio destinatam Placidiam, & bellum contra Gothos suscipiendum declarat: sed ex hoc ipso in gravius etiam vitæ propriæ periculum conjicitur, dum Attalus arcana omnia se proditurum Cæsari minatur,

ni arma publica in Romam Stilico exferat. In Actu tertio crescit hoc periculum, dum inita proditionis consilia, etsi occultato adhuc Stiliconis nomine ad Honorium deferuntur. Amplius adhuc in Actu quarto per Eucherium in vincula datum, dum tandem in Actu quinto uterque, Stilico nempe, & Eucherius periculo succumbunt.

Unitatem temporis quod attinet, omnia, quæ in hac Tragœdia repræsentantur, etsi non una eademque die contigerint, una tamen, eâdemque die contingere potuerunt. Imò si nexum Tragœdiæ spectes, una die contingere debuerunt. Attalus nempe diu Romæ jam præsens cùm callidè omnia exploràsset, ea ipsa die, qua Stilico bellum ab eodem Attalo indicendum Cæsari credebat, pacis & conjugii fœdera offert: hæc, ut videbatur, & Attalus subdolè spargebat ab Honorio acceptanda necessariò gravem indignationem, & tumultum in Romano exercitu concitârunt, occasione hac ut Stilico sine mora uteretur. Attalus urget, extrema in crastinum minitatus, nisi hac nocte se fidelem Gothis probaret Stilico. Quæ verò ulterius ab eodem Attalo intricantur, indicia nempe, etsi obscura, de proditione, ad Cæsarem delata, Eucherii captivitas, & Cæsaris ex urbe Romana discessus Stiliconem ne noctem quidem exspectare patiuntur ad cædem Honorii tentandam, cujus loco dum Eucherius feritur, mox inde Stiliconis desperatio, sui ipsius accusatio, & damnatio necessariò sequuntur. Observa hic Stiliconem brevissimis verbis proditionem suam fateri, proditionis verò seriem explicandam ad captum Hudinum rejicere: non enim potui in theatro coram Cæsare omnia retexere: nihil quippe spectatorem adeò fatigat, quam repetita eorum, quæ jam audivit, aut vidit, narratio, & Oratoria anacephaleosis.

De unitate Scenæ. Eadem est unitas scenæ, quæ tota ponitur Romæ in Palatio Cæsareo. Narrat equidem Historia solum Eucherium Romæ, Stiliconem verò Ravennæ occisum;

ſum; verùm cùm non liceat Romam & Ravennam in eodem theatro exponere, locum unicum eligere debui, in quo perſonæ huic Tragœdiæ tam neceſſariæ potuerint convenire. Romam igitur elegi non modò quia illuſtriorem, ſed quia ibidem & Eucherius periit, & Honorius ibidem fuiſſe, atque ad eundem Stilico acceſſiſſe legitur, cùm primum de occulto Stiliconis cum Alarico fœdere indicium ab Olympio delatum eſt. Atque hæc loci mutatio non mutat *ſubſtantiam Hiſtoriæ*, quæ in eo ſita eſt: quòd Stilico per proditionem, quam in filii gratiam molitus fuerat, ſuam, & filii vitam perdiderit; ſed aliquam tantùm *Hiſtoriæ circumſtantiam*, quam facultatem Tragico Poëtæ ipſe Ariſtoteles concedit, dum ait, poëtam tragicum res geſtas tractare, *non prout geſtæ ſunt*, quod eſt hiſtorici, *ſed prout geri potuerunt*, aut *debuerunt ſecundum veriſimile, vel neceſſarium*; imò c. 7. ait: *ridiculum eſſet quærere, ut vulgatæ fabulæ in quibus tragœdiæ ſunt, ad unguem retineantur*, & Horatius addit:

Aut famam ſequere, aut convenientia finge.

Neque ideo, quòd ex hiſtoria oſtendi poſſit, rem aliquam non in eodem loco, aut tempore *contigiſſe*, ſemper inferri poteſt, non ita *contigere potuiſſe*, adeoque non convenientem, aut veriſimilem eſſe. Ut enim juxta Philoſophum, multa non ſunt veriſimilia, nec tamen ideo ceſſant eſſe vera; ita & multa non ſunt vera, nec tamen ideo ceſſant eſſe veriſimilia. Et ſanè, quod bene obſervat Petrus Cornelius, quàm multa, ſi non pleraque illuſtrium Tragœdiarum argumenta theatro excluderentur, ſi nihil in circumſtantiis loci, aut temporis mutare liceret. Tragœdia enim peripetiam, ſive tranſitum ex felicitate in miſeriam, graves rerum perturbationes, regnorum everſiones &c. involvit, an verò tam gravia ſemper aut ſæpius intra unius ſolis ambitum, eodemque loco contigêre, intra quod ſpatium tamen Poeta tragicus ea debet includere? non itaque attendere poteſt,

teſt, an verè intra tale temporis, aut loci ſpatium contigerint, modò ita contingere potuiſſent, & in ipſo Tragœdiæ nexu nihil, quod ſibi non cohæreat, ponatur. Si cui hæc non ſufficiant, Petrum Cornelium legat, qui in ſua diſſertatione de Tragœdia, & præſertim de modo illam tractandi ſecundùm veriſimile, aut neceſſarium, hanc facultatem circumſtantias etiam ab Hiſtoria expreſſas mutandi Poetæ tragico conceſſam ſolidè, & eruditè defendit, eâdémque ſe non ſemel, nec infeliciter uſum fatetur, præſertim in ſuo Nicomede, Heraclio, & Pompejo. Denique, & Thomas Cornelius, qui non quidem par Petro, illuſtre tamen inter tragicos nomen promeruit, dum olim idem, quod ego nunc, argumentum in theatro propoſuit, ſcenam Romæ fixit, & ibidem præſente Honorio Stiliconem, & Eucherium induxit. Tantos Authores ſecutum me hactenus nec pudere, nec pœnitere debuit. Quin lubens fateor, me non modò hanc temporis & loci electionem, ſed & alia nonnulla ex Cornelii Stilicone in meum tranſtuliſſe. In ipſo tamen totius Tragœdiæ nodo, & ſolutione ab eodem Authore plurimùm ſtudui recedere, non ut melius, ſed ut aliter idem argumentum tractarem, neque tantùm interpres viderer. An verò & Authoris nomen in hac Tragœdia merear, iis judicandum relinquo, qui poſtquam Cornelii Stiliconem legerint, etiam meum legere non fuerint dedignati.



THE-

THEMISTOCLES
TRAGOEDIA

ARGUMENTUM.

THemiſtocles cùm patriam incolumem, claram, opulentam, principem Græciæ reddidiſſet, eousque ſenſit inimicam, ut ad Perſici regis, quem paulo antè deſtruxerat, non debitam ſibi miſericordiam perfugere neceſſe haberet. Ab hoc non benignè modò, ſed & ſplendidè exceptus, & ſummo in honore habitus, ac denique Perſici exercitûs Imperator declaratus, ne patriam oppugnare cogeretur, inſtituto ſacrificio; exceptum patera tauri ſanguinem hauſit, & ante ipſam aram pietatis in patriam victima cecidit. Quo quidem tam memorabili ejus exceſſu, ne Græciæ altero Themiſtocle opus eſſet, effectum eſt. Valerius Maximus Libro 5to.

PER-

PERSONÆ.

Artaxerxes *Rex Persiæ.*
Themistocles.
Cleophantus *Themistoclis filius.*
Asietta *Themistoclis filia.*
Olynthus *Themistoclis armiger.*
Lysistratus *Legatus Athenarum.*
Agathocles *Legatus Spartæ.*
Megabasus } *Proceres Parsæ.*
Artavasdus }
Aula, milites, comites Legatorum &c.

Scena figitur in regia Artaxerxis.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Themistocles. Asietta. Olynthus.

THem. An certa Olynthe nuntias, nec spe irrita
Deludis animos? Ergóne Argivos Lares,
Charas Athenas, patriam, & avitam domum,
Dulcésque generos, filios, natas, nurus
Post tot graves infamis exilii moras
Rursum licebit visere: & tutò. & palàm
Charissimorum pignorum amplexu frui?
Olynth. Modò non recuses ipse, mox patriæ tuæ
Themistocles redderis, & Themistocli
Reddet vicissim patria honores pristinos.
Nempe invido glaucomate obductos diu
Oculos aperuit Græcia, & tandem videt,
Sentitque, quid perdiderit in Themistocle.
Quantùm sibi profuerit heroa hæc manus,
Carendo didicit: bella dum metuit nova,
Et grandiora, dexteram his bellis parem
Deposcit, & quam denique, nisi Themistoclis?
Hanc námque solam Græciæ inimici timent.

Them.

Them. O quàm petenti patriæ lubens dabo
Hanc dexteram, atque hunc sanguinem! Ruptâ morâ
Remeabo Athenas, si nutu levi indicent,
Rursum patere mœnia infausto exuli.
Afietta. Non capio vota, quæ genitor hodie facis.
An tot favores, regibus pares opes,
Et tanta honorum culmina, ad quæ Persia
Themistoclem provexit, ex animo tuo
Delere necdum memoriam Argivi soli
Potuère? Græca tecta suspiras adhuc?
Adhuc tabernæ rusticæ, & viles casæ
Athenienses regia præ aula placent?
Them. Tu filia inter Persicos genita Lares
Ex matre Persa Persiam, nec mirum, amas;
Ego solum natale nactus Græciam
Amo vicissim Græciam. *Afiet.* Ingratam nimis,
Quæ tam nefando ejecit innocuum modo.
Them. Ingrata quamvîs fuerit, est patria tamen,
Meus ille tamen est populus, & cives mei
Athenienses. Quàm mihi felix erit
Lux illa, quæ me civibus reddet meis,
Mihique cives! *Olynth.* Nempe natalis soli
Dulcedine omnes trahimur. *Afiet.* At si blandior

For-

Fortuna quemquam in exteris fovet plagis,
Facilè quis obliviscitur patrii soli.
Quid inter Argos, quid in Athenis denique
Reperire speras? inter angusta unius
Conclusus urbis mœnia, immistus gregi
Pauperculorum civium, quorum tamen
Se quisque fors jactabit æqualem tibi,
Num tantus esse poteris, & tanto in gradu,
Quantus es in aula Persica? tot oppida,
Portus, & arces, subditi, & cives tibi
Tributa pendunt: Lampsacum, Magnesia,
Percotta, Palæscepsis, & ferax Myus
Tibi regenti subditum curvant genu,
Quin tota pene Persia ex nutu tuo
Dependet: Artaxerxe jam solo minor
Regis regentes Persiæ. *Them.* Extra patriam
Dum vivo, quantuscunque sim, sum exul tamen,
Et exul, etsi sim innocens, multis tamen
Reus videbor, Fama, quæ vitâ mihi,
Opibúsque cunctis charior semper fuit,
Reparanda non est, patriæ nisi suæ
Themistocles reddatur: exilii probrum
Delere solus reditus in patriam potest.
Olynth. Et hunc patere jam auguror. *Them.* At unde, obsecro,
Felicia hæc auguria? Loquere clariùs,
Et

Et pande fundamenta tam dulcis ſpei.
Olynth. Nôſti recens è Græcia advectos viros
Veniſſe in aulam Perſicam. *Them.* Et quid hinc ſpei?
Olynth. Niſi verba me luſère - - Sed rex imminet.
Hic certiora forſitan. - -

SCENA SECUNDA.

Artaxerxes, Themiſtocles, Aſietta. Olynthus.

Artax. - - - Themiſtocles,
Audiſtin huc Lyſiſtratum una cum Agathocle
Veniſſe? Scis, quid nomine patriæ tuæ,
Totius immò Græciæ à nobis petant?
Them. Sit grande quidquam, credo, quod per tam inclytos,
Tantósque tota Græcia expoſcit viros.
Artax. Sic eſt: petit quid grande, ſed ſpondet ſimul
Referre quidquam grande Perſis Græcia.
Aſietta, quid ſi liberum Aſtyagen tibi
Réduceret Legatio? Si, quem diu
Ut mortuum defleveras; ſponſum hæc dies
Vivum renuntiaret? *Aſiet.* O magni Dii!
Adhúcne vivat ſponſus Aſtyages meus?

Them.

Them. An fama mendax principem hunc cæſum tulit?
Artax. Cæſum quidem credideram in Ægypti plagis
Charum nepotem, & hoſtium ferro impio
Cecidiſſe tantam victimam dolui diu;
Sed veriora nuntia hæc tulit dies,
Et lætiora: vivit Aſtyages adhuc,
Vinclis tamen detentus Argorum in manu,
Seróque tandem cognitus. *Aſiett.* Vivat modò,
Nepos Monarchæ Perſici haud quaquam diu
Hærebit inter vincula, & -- *Artax.* Themiſtocles
Mihi nepotem reddere, & ſponſum tibi,
Sibíque generum poterit, & ſolus quidem.
Them. Utinam! Sed hoc quonam modo? cunctas opes,
Vitámque promptus prodigam. Rex impera.
Artax. Captivitate liber Aſtyages erit,
Reddendus ultro Perſiæ, ubi Themiſtocles
In Græciam redierit: hoc unum petit
A me lytrum tua patria; Aſtyagen mihi
Remittet, ubi Themiſtoclem reddam ſuis.
Hoc poſtulat legatio Argorum ducum.
Them. Ignoſce regum maxime, haud capio ſatis

Adeò

Adeò repentè in exulem Themiſtoclem
Mutata corda civium Argorum. Ergóne
Me tota revocat Græcia? & tali modo
Me revocat? & tam ſplendida, támque inclyta
Legatione revocat, & tanto lytro?
Artax. Nempe pretioſum Græciæ eſt caput tuum,
Plus, quàm ipſe forſan credis. Agathocles tibi
Plura explicare poterit, huîc loquere prior,
Tum plura mecum. *Them.* Vive regum maxime.

SCENA TERTIA.

Themiſtocles. Aſietta. Olynthus.

Them. Ergo triumphat denuò Themiſtocles,
Et fregit innocentia invidiæ faces?
Me patria chara revocat? O felix dies,
Qua tanto honore Græcia exilii probrum
Compenſat! *Aſiet.* Equidem gratulor patriam patri,
Famámque demum redditam; mihi tamen
Minùs licet gaudere: nam tali die
Sponſum quidem reperio; ſed perdo patrem.

Them.

Them. Nil natâ perdis, Græciam quandò repeto;
Et te relinquo Persiæ, & sponso tuo.
Utrinque sic triumphat, & regnat genus
Themistoclis. Quin plura jam læta auguror:
Æterna pax jam Græciam, atque Persiam
Ligabit arcto fœdere, ubi sanguis meus
Utrique genti præerit. *Asiet.* Hanc à te pater
Cum sanguine imbibi indolem, ut famam omnibus
Præferre horim, & gloriam. Patrem licèt
Suavissimum deserere, si stirpis decus;
Et publica salus exigat, non abnuo.
Them. Vade ergo nata, debitas grates polò
Pro tam beata sorte, qua nostram domum,
Et sanguinem Themistoclis donat, refer.
Asiet. Obedio lubens, pro salute, & gloriâ
Sponsi, patrisque victimas Diis paro.

SCENA QUARTA.

Themistocles. Olynthus.

Olynth. O ter beatum filia tali patrem!
Them. Hæc una, fateor, filia exilii mei
Solamen hactenus fuerat, unam hanc quoque
Invitus hodie desero: sola hæc mihi

Minus

Minus cupitum in Græciam reditum facit.
Olynth. In Græcia quoque filium dignum patre
Dignósque cum nepotibus generos', nurus
Themiſtocles reperiet. *Them.* O quanto redux
Hos gaudio complectar! Impatiens moræ
Suſpirat animus Græciæ optatos Lares.
Olynth. Regale ſubeunt atrium Argivi duces.
Them. Sine, prior in concivium amplexum involem.

SCENA QUINTA.

Themiſtocles. Lyſiſtratus. Agathocles. Olynthus.

Them. Quæ fauſta ſors vos reddidit amicos mihi!
Corámne rurſum video concives meos?
Lyſiſtr. Nullum ſub iſta veſte concivem meum
Agnoſco. *Them.* Non Themiſtoclem nôſti? an meus
Mutatus adeò vultus? Inſpice propius
Hæc ora. *Lyſiſt.* Propius inſpicere vultum impium,
Et proditorem Græciæ, & patriæ ſuæ
Tœdet, pudétque. *Agath.* Perſici regis peto
 Allo-

Alloquia, non Themiſtoclis, non transfu-
gæ,
Non barbari ſervi. *Lyſiſt.* At in Areopago
tamen
Et ad tribunal Græciæ, ubi ſtabis reus,
Ibi loquemur plura. - -

SCENA SEXTA.

Themiſtocles. Olynthus.

Them. - - - Quid ſibi volunt
Hæc dicta amice? Sic Themiſtoclem ſui
Cives ſalutant? Sed *in Areopago tamen*
Et ad tribunal Græciæ ubi ſtabis reus,
Ibi loquemur plura? *Olynt.* Non capio ſatis.

SCENA SEPTIMA.

Themiſtocles. Cleophantus. Olynthus.

Cleoph. Themiſtoclem ſi liceat ignoto allo-
qui.
Them. Quem video coram? fallor? an -
Cleoph. Non falleris.
Nempe Cleophantum filium coràm vides,
Patriâ, domóque pervagum. *Them.* Et quis
patriâ
Profugere cogit? *Cleoph.* Capitis & tui, &
mei

Novum

Novum periclum. Sanguinem Themistoclis
Irata poscit Græcia: hinc legatio
A rege te reposcit, ut te ad publicum
Sistat tribunal Græciæ, & plectat reum.
Themist. Et cujus ergo criminis novi reus
Accusor? aut quis odia charæ patriæ
In exulem ultra concitat? *Cleoph.* Spartæ furor,
Et æmulorum invidia, non nisi tuo
Cruore restinguenda: nempe criminis
Pausaniani particeps Themistocles
Ubique promulgatur, & - - *Them.* Ego particeps
Pausaniani criminis? ego proditor?
Cleoph. Pausanias cum rege Medorum impia
In Græciam consilia dum struxit, simul
(Sic spargitur) Themistoclem in partem doli
Pertraxit; hujus criminis testes palàm
Ferunt Lacones literam à Pausania
Ad exulem Themistoclem quondam datam,
Nuper repertam. *Them.* Fateor, ad me literas
Pausaniam dedisse, queîs in patriam
Me concitare studuit; at, testor Deos,
Abominabar impium in patriam dolum.
Pausaniani criminis eram conscius,
Non particeps, mi nate. *Cleoph.* Ob hoc ipsum tamen

M 3 Silen-

Silentium te Sparta proclamat reum,
Et proditorem accusat. Exilium tibi
Olim imperatum jam quasi nimiùm leve
Pœnæ genus damnatur. Horreo, pater,
Dum probra repeto, quæ tuum in nomen
ferox
Argiva plebs effundit: insanum furit,
Rabidáque voce Themistoclis petit caput.
Tot probra ferre nescius, simul patrem
Ut admonerem, tacitus aufugi domo,
Patriáque. Consule genitor tibi, & mihi.
Them. O Patria! Chara patria! sic civem
tuum
Persequeris? Ita Themistoclem revocant
sui?
Olynth. Verende dux, jam planctibus non
est locus.
Consilia potius capere sine mora decet,
Queîs subruamus machinas Græcas. *Them.*
Veni
Olynthe; sed tu nate personam tege.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Agathocles. Lysistratus.

Agath. Vota superavit Græciæ præsens dies,
Quàm prosperum legatio habitura exitum,
Quæ

Quæ tale nacta exordium est. *Lysist.* Non credidi,
Ipsus fatebor, Persicum regem illicò
Ad Græciæ petita tam pronum fore,
Ut traderet Themistoclem in nostras manus.
Agath. Salus nepotis regii fuit utique
Emenda sanguine exteri, & Græci exulis?
Lysist. Hæc promptitudo Persici regis tamen
Mihi nova movet dubia. *Agath.* De regis fide
Verbóque dubitas? *Lysist.* Neutiquam, sed, num reus
Themistocles sit criminis, cujus tua
Accusat illum Sparta, jure jam queo
Dubitare. *Agath.* Num Themistocles verè reus,
Num proditor sit, perfidis num fraudibus
Ad arma contra Græciam, & patriam suam
Stimulârit aulam Persicam, dubitas adhuc?
Lysist. Si talis est Themistocles, qualem tua
Arguit Athenis Sparta, si tam sit potens
In regis animum, cuncta si nutu suo
Dirigit in aula Persica, ut quidem asseris,
Cur tam citus, tam promptus ad primas preces
Tantum hostibus rex Persiæ tradit virum?
Hæc promptitudo regis, ut dixi, probat
Minus reum Themistoclem. *Agath.* Sic scilicet

Athenienſes ſemper innocuos volunt
Suos videri. Sola non ſontes premit
Invidia Spartæ: ſed breves patere moras;
Ubi ad tribunal Græciæ ſtabit tuus
Themiſtocles, patebit, an non ſit reus,
An ſola Spartæ invidia non ſontem premat.

SCENA SECUNDA.

Themiſtocles. Lyſiſtratus, Agathocles.

Themiſt. Liceat, amici, verbulum Themiſtocli,
Nunc exuli, quondam tamen veſtro duci,
Non conquerar de Græciæ, vel civium
Quondam meorum mente non æqua ſatis,
Aut nimis acerba; dicite, hoc ſolum rogat,
Qui nuper imperaverat, rogo, dicite;
Quæ cauſa demum, quod novum tandem ſcelus
Adeò incitavit Græciam? Exilio meo
Contenta necdum patria ſanguinem quoque
Themiſtoclis, pro patria tam prodigè
Totiésque per tot vulnera effuſum ferox
Sitire pergit; vertice avulſum caput
Geſtit videre, quo ſine, audeo dicere,
Tota cecidiſſet Græcia? *Lyſiſt.* Hoc caput quidem

Olim,

Olim, fatemur, Græciam, & patriam bene
Defendit; aſt modó. - - *Them.* Quid ergo
modò? *Agath.* Modò
Ut patria ſtet incolumis, hoc caput cadat.
Them. Hoc ergo ſtante capite nequeat Græcia
Patriáque ſtare ſalva? *Agath.* Saltem non ſatis
Secura ſtabit, perfidi niſi occidant.
Et vindicentur crimina. *Them.* Et quæ crimina
Demum premunt Themiſtoclem? An crimen meum
Devicta claſſis Perſica; & Xerxis jugo
Erepta tota Græcia? an crimen meum
Reparatæ Athenæ, mœnia à fundo recèns
Erecta noſtrâ dexterâ, & Diis nova
Statuta templa? Crimina hæc ſi ſint, novis
Ornâſſe lauris patriam, & prædâ ſuos
Ditâſſe cives, fateor, eſt horum reus
Themiſtocles. *Lyſiſt.* Jactare vetera deſine.
Sunt alia, quæ Themiſtocli Sparta objicit:
Pauſaniam Themiſtocles, Pauſaniam
Timeto, quamvis mortuum: ſceleris ſui
Te complicem proclamat & mutus cinis.
Agath. Vel, ſi ſilet Pauſaniæ triſtis cinis,
Hæc ſola veſtis Perſica oſtendit reum.
Them. Exuere veſtem potero, ſi hæc facit reum.
Agath. Exuere veſtem poteris, at non perfidum;

 Quem

Quem prodit animum vestis: hostem Græciæ
Et proditorem patriæ Themistoclem
Sat prodit hæc infamis ad Persas fuga.
Them. Et quis coëgit fugere, nisi Spartæ tuæ
Invidia? quòd si crimen est nostra hæc fuga,
Crimen Laconum est, non Themistoclis scelus.
Lysist. Hîc disputâsse pluribus jam non vacat:
Sed ad tribunal Græciæ ubi stabis reus
Themistocles, licebit, ut potes, loqui.
Them. Ite, ite, dum Themistocles tutus satis
Favore regis Persici ridet minas,
Et Græciæ tribunal. Immo nunc habet
Solamen exilii sui, atque jam æquius
Carebit aura patriæ infensæ nimis.

SCENA TERTIA.

Themistocles. Olynthus.

Olynth. Verende dux, perivimus: nulla est super
Jam spes salutis, perditum caput tuum;
A rege jam sententia est lata, & palàm,
Auláque tota teste. *Them.* Quam sententiam

A rege

A rege latam ais? *Olynth.* In caput Themistoclis.

SCENA QUARTA.

Themistocles. Megabasus. Olynthus.

Megab. Amice, doleo; jam ultimùm amplector manum
Themistoclis. Valeto, si tamen potes
Valere tristis victima furentis poli.
Them. Magabase loquere clariùs. *Megab.* Dolor vetat
Proferre plura. *Olynth.* Nempe, quod dixi, neci
Te destinatum à rege Megabasus dolet.
Them. Quo scelere subito meruit iram regiam
Themistocles? *Megab.* Non crimen ullum te premit,
Nec regis ira, sed nepotis regii
Pretiosa toti Persiæ vita, & salus
Necem petunt Themistoclis. *Them.* An ergo salus
Astyagis, atque vita non nisi nece
Themistoclis redimenda? *Megab.* Respuit lytrum,
Quod grande sat rex obtulit, capiti tuo
Infensa nimiùm Græcia: negat liberum
Regi nepotem reddere, nisi rex prius
Themistoclem remittat in Græcas manus,

Pœnas daturum civibus tot criminum,
Quorum reum Themistoclem Sparta arguit.
Them. Et Persicus rex hospitis sui caput
Nil jura gentûm veritus, & datam fidem
Tradit furenti Græciæ, & morti objicit?
Megab. Ignosce nostræ Persiæ: indignos viro
Tanto Dii nos judicant: fata invida
Jus hospitale rumpere invitos jubent.
Amor nepotis regium pectus movet,
Sententiámque extorquet invito licèt.
In Græciam mittêris, & adhuc hac die,
Græci furoris victima futurus brevì,
Et victima statûs: sic ratio statûs jubet.
Olynth. Et Ecce! jam qui te abstrahant, cerno viros.

SCENA QUINTA.

Themistocles. Artavasdus. Olynthus. Comites.

Artav. Themistocles abrumpe jam lentas moras,
Hósque comites sequare. Vos quò jussèram,
Fidi virum deducite. *Them.* Ad Græcas rates?
Artav. Parata jam navigia conscende ocyus,
Nullus jam in aula Persica est locus tibi,

Nul-

Nullum ultra asylum regius spondet favor.
Them. Adoro nutus Persici regis. Sequor
Quocunque fata tristia infaustum trahunt;
Solùm hoc precabor: antequam hinc procul abstrahar,
Exosculari regiam liceat manum,
Charæque natæ dicere extremum vale.
Artav. Ultra subire regiam, & regem alloqui,
Quæ te premit necessitas præsens, vetat.
Them. Ergóne ne quidem alloqui regem licet
Pro regio nepote morituro? *Artav.* Veni,
Obtestor, hortor, obsecro, & caput tuum
Subduc periclo: nulla, nisi præceps fuga,
Via superest salutis. En! fidos viros,
Navigia jam parata, cum his tacitus fuge.
Them. Tua Artavasde verba non capio satis.
A rege nunquid missus es, quò me in manus
Ratésque tradas Græciæ? *Artav.* Ah Themistocles!
Hæc de Artavasdo eredis? Errorem, obsecro,
Depone: quos hic conspicis viros, mea
In te fides elegit, ut te in tempore,
Et antequam tradaris in Græcas manus,
Ad tutiora transferant. Sequere, rogo,
Moráque rupta tacitus hinc procul fuge
Meas ad arces, donec Argorum furor

Mitescat,

Mitescat, aut consilia rex capiat nova,
Et saniora. *Olynth.* Video, nos juvant
Dii.
Them. Ah Artavasde! tanta in exulem tua
Pietas, amórque tantus? Ignosce, obsecro.
Artav. Quin parce verbis, obserro, & citus
fuge.
Brevi revisam tutiori te in loco.
Them. Olynthe, fugimus igitur? *Olynth.*
Hoc unum super
Verende ductor, fugimus. *Them.* At filia
mea
Quid interim? *Artav.* Hanc committito
curæ meæ.
Them. Sed Persicus Rex si tuâ audiat operâ
Themistoclem effugisse? *Artav.* Poterit
hoc caput
Avellere; at non poterit, ita juro Deos,
Ubi lateat Themistocles, ullis minis
Hoc pectore extorquere: promptus sanguinem
Effundo, dum Themistoclis servem caput.
Them. Non, non. Amice, Græci, & exulis
caput
Tanti viri periculo redimi nefas.
Damno fugæ consilia: Græcorum in manus
Ultro caput meum offero; captum abstrahant
Spartam, aut Athenas. Animus insons criminis

Nullum

Nullum tribunal metuit. *Artav.* Ah! siste
impetum.
In fata temet mittis, & certam necem.
Secura non est Græcia. *Them.* At tutum
satis
Me præstat innocentia. *Artav.* Innocentiam
Invidia sæpe oppressit. Exemplo tuo
Expertus hoc Themistocles cave Græciam,
Cave æmulorum machinas: idem furor
Qui te innocentem patria ejecit, modò
Ardescit, & adhuc acriùs. *Olynth.* Cede,
obsecro,
Votis amici, nec furenti Græciæ,
Rabidæque plebi trade pretiosum hoc caput.
Them. Quin tu Artavasde proprium serva
caput,
Nec objice iræ regiæ infausti exulis
Miserique causâ. Solus ut pereat, sine,
Qui solus in se provocat Fati minas
Themistocles. *Artav.* Ah siste! te per filiam
Adjuro. *Them.* Trado filiam curæ tuæ:
Patrem perire Græcia, & Persia jubent.
Olynth. Servare utrumque fidus hic amicus
cupit.
Audi Artavasdi consilia, fuge hinc. *Them.*
Fugam
Nescit animus Themistoclis. Præstat mori.
Sed strenuè, quàm exilia perpetuò pati.
Accedo regem, me offero promptus neci.

SCENA

SCENA SEXTA.

Artaxerxes. Themistocles. Asietta. Lysistratus. Agathocles. Comites &c.

Artax. In tempore offers te Themistocles. Decet
Implere regis verba legatis data.
In Græciam vocaris. *Asietta.* Ah rex maxime !
Jus hospitale, & regii verbi fidem
Dudum datam Themistocli - - *Them.* Filia, sile,
Liceat patri loqui. Monarcha maxime,
Cujus benignus nimis in exulem favor
Accendit in nos odia Græcorum omnium,
Immerita quamvis, excipe preces ultimas
Themistoclis: Non posco præsidium mihi;
Non ultra asylum flagito ; promptus sequor
Inimica fata, Græciæ hoc caput immolo;
Et sanguinem propino, quem patria sitit:
Felix tamen, quod sanguine effuso tibi
Rex magne, saltem reddere nepotem queam.
Depono jam, quæ regius favor mihi
Insignia olim contulit: Magnesiam,
Arces Myunti, & Lampsaci in regis manus,
A queîs habeo, restituo, pauper Persicam

Aulam

Aulam subivi, pauper hinc abeam quoque.
Commendo tantùm filiam orbatam patre,
Hanc rex tuere subditam: in regno tuo
Hæc nata regem sentiat, qualem pater
Externus etsi, & hostis, expertus fuit.
Vale ergo chara filia, & felix ama
Meo redemptum sanguine Astyagen tuum.
Asiett. Ah siste genitor! sanguine potius meo
Redimendus est & sponsus, & pater simul;
Meum pro utroque hoc offero lubens caput.
Mihi vincla Græci injicite: nam si sanguinem
Themistoclis sititis, his venis fluit
Sanguis paternus: hauriat Græcus furor,
Plectatque patrem in filia. *Agath.* Non fœminæ
Poscit cruorem Græcia, at caput viri.
Asietta. Et cur? cruenti, perfidi, ingrati, impii -
Artax. Cessate probra. In Græciam Themistocles
Moraque rupta perge, téque ipsum palam
Sistas Athenis: hîc ages causam tuam.
Utque agere possis fortiùs causam tuam,
Tibi Advocatos addo, centum millia
Quæ te sequentur capita: totum exercitum,
Totasque vires Persiæ, & classem diu
Jam

Jam præparatam nutibus trado tuis,
Huîc te ducem præficio. Sic patriam pete,
Jam non ut exul, aut reus, sed, ut decet,
Vindex nefandi criminis, & injuriæ,
Quam tibi, mihíque Græcia ingrata intulit.
Oſtende, quid Themiſtocles læſus queat
Quid Perſica queant arma. Sanguinem ſitit
Furibunda nimium Græcia; dabis ſanguinem,
Sed improborum civium: ferro, & face
Ingrata verte mœnia, & famæ tuæ
Meíque honoris ultor armata manu
Indigna rumpe vincla, quæ Aſtyagen premunt.
Victoria una filiæ ſponſum, mihi
Charum nepotem reddet, & generum tibi.
Lyſiſt. Hæc pacta Græciam inter, atque Perſiam?
Agath. Promiſſa ſic rex ſolvit, & datam fidem?
Artax. Promiſſa fidus impleo: Themiſtoclem
Græcis remitto. Veniet, & veniet brevì,
Plures tamen ſecum hoſpites trahet. *Agath.* Trahat.
Excipiet, ut decebit, iſtos hoſpites
Argiva tellus. *Lyſiſt.* Nempe quo Xerxem modo

Excepit

Excepit olim Græcia, hoc pariter modo
Excipiet hodie, si hospites demum novos
Submittet Argis Græcia. *Artax.* Ite ergo
citi,
Et nuntiate Græciæ adventum hospitum.

SCENA SEPTIMA.

Artaxerxes. Themistocles. Asietta.

Artax. Vides modò Themistocles, qualis
meus
In te sit animus: Persiam totam excito
Ad bella, tantùm ut protegam hoc charum
caput.
Perdere nepotem malo, quàm Themisto-
clem;
Sed spero, utrumque hæc arma servabunt
mihi.
Themist. Ignosce rex, attonitus, & necdum
capax
Tanti favoris animus hic meus stupet.
Nec regiæ clementiæ dignas potest
Referre grates. *Asiet.* Nec capit se mens
mea.
Reducem sepulchro pariter & sponsum, &
patrem
Mihi denuo puto redditum à dextra tua.
Artax. Cunctis salutem regius spondet fa-
vor.

Sola ingemiſcat Græcia, & Lacon tremat,
Themiſtoclis dum cernit armatam manum.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

Lyſiſtratus. Agathocles.

Lyſiſt. Sic Perſâ excedamus? An legatio
Tam ſplendida nihil Græciæ demum afferat,
Præter ferox incendium, & belli faces?
Aovásque ſtrages urbibus, & oris patrum
Jam jam imminentes? *Agath.* Sparta jam fructum ſuæ
Legationis obtinet: ſaltem modò
Themiſtoclis pateſcit in patriam furor.
Jam nemo dixiſſe poterit, Spartam invidam
Oneráſſe ficto crimine inſontem virum.
Videant Athenæ, & ſentiant, quod hactenus
Mihi credere recuſaverant, quid Perſica
Egerit in aula transfuga, & quàm ſit potens,
Nocénsque tantus exul Argivis plagis.
Lyſiſt. Ut arma tandem caperet in patriam ſuam,
Hæc ſola fors legatio virum impulit.

Aliàs

Aliàs amàntem patriæ; extremus furor,
Quali exulem persequimur, extrema impulit
Remedia capere: quærit à Persis opem,
Placare postquam patriam iratam nequit.
Agath. Ut video, tegis, & transfugam excusas adhuc?
Et arma contra patriam, ùt justa approbas?
Lysist. Non approbo, sed, fateor, opto patriam
Periculoso liberam bello. *Agath.* Times
Ergo arma Persæ? *Lysist.* Dexteram Themistoclis
Plus, quàm arma Persæ timeo. *Agath.* Didicit Græcia
Xerxis phalanges frangere, an demum sibi
Timeat ab Artaxerxis imbelli manu?
Num Patre major filius? *Lysist.* Themistocle
Ductore Xerxem Græcia fugavit; modò
Quem Græcia habuit, Persia habitura est ducem.
Agath. Habeat: habebit Sparta, quem Themistocli
Opponat, & si fortibus tandem viris
Carent Athenæ, Græciæ hæc superest munus,
Et ensis iste - - at Ecce! turpem transfugam,
Et proditorem.

SCENA SECUNDA.

Themiſtocles. Cleophantus. Lyſiſtratus. Agathocles. Artavesdus. Comites.

Artavesdus. - - Loquere parciùs Lacon,
De quo loquaris cogita: coràm vides
Non exulem, ſed Perſicæ claſſis ducem.
Agath. Stylum ergo muto. Gratulor novo duci
Novos honores, gratulor famam inclytam,
Quæ toto in orbe ſparget, Argivum exulem
Armâſſe totam Perſiam in patriam ſuam.
Tam illuſtre facinus ſera poſteritas quoque
Mirabitur. Ego præco virtutis tuæ
Primus futurus nuntium hoc Argis feram.
Lyſiſt. Et præmiari Græcia hanc fidem patris
In filio ſtudebit. Age Themiſtocles,
Vibrato ferrum in patriam; memor tamen
Eſto, Cleophantum filium in Græcis adhuc
Hærere terris: obſidem natum tuum
Habent Athenæ. *Agath.* Patris hic crimen luet,
Primúsque ſanguis fuſus in bello impio
Sanguis ſiet Themiſtoclis, cujus domum
Stirpémque primum fulmen armorum petet.

Cleo-

Cleophant. Jam tutus hoc à fulmine, & brutis minis
Cleophantus adſtat, Perſico tectus Jove,
Lauroque patris. *Lyſiſt.* Quem video coràm? Dii!
Ipſe Cleophantus Perſicos inter Lares,
Cum Patre pariter transfuga? *Agath.* En! teſtem novum,
Fidúmque, quàm ſit innocens Themiſtocles.
Cleopb. Teſtis novus, fidúsque ſum, quantus furor,
Invidia Spartæ quanta non nocuum premat.
Artavas. Sed vindicandi injuriam tempus Dii
Vobis dedère. Sparta ſupplices brevì
Themiſtocleæ porriget ſtirpi manus,
Quósque ad tribunal Græciæ vocat reos,
Suos videbit judices, & vindices
Injuriarum. Pergito Themiſtocles,
Natúmque regi ſiſtito: applauſu novo
Excipiet Aula filium tanti patris.
Themiſt. Præito; mox ſequemur, ubi natum prius
Inſtruxero, ut compareat, prout decet,
Coram Monarcha. *Agath.* Pergite ergo transfugæ,
Servite regi barbaro, & ferro impio
Laniate matris viſcera, & cineres patrum
Sacris ſepulchris erutos dira manu

Spar-

Spargite per auras. Meruit hæc Argos mala,
Dum monstra talia genuit. *Lysist.* Recedimus.
Pudet videre Græciæ, & mundi probra.

SCENA TERTIA.

Themistocles. Cleophantus.

Cleoph. Tanta probra genitor patimur, & inulti? *Them.* Moram
Fer nate tantùm perbrevem: hac adhuc die
Aliter loquetur patria de Themistocle.
Dic interim, quos spiritus pectus fovet?
An natus es Themistoclis non degener?
Cleoph. Hæc si quis alius quæreret præter patrem,
Hoc ense responderet hæc manus. *Them.* Places.
Quid ergo sentis? Arma contra Græciam
Themistocli vibranda quî tibi placent?
Cleoph. Genitor, fatebor candidè; ingratam licèt
Odisse nequeo patriam. Horrescit animus,
Dum mente volvo excidia, stragésque ultimas
Jam jam imminentes Græciæ, & manu patris

Vastan-

Vaſtanda tecta, & mœnia, in quibus mihi
Vitam pater dediſti. Utinam aliquis ſuper
Eſſet juvandi patriam infauſtam modus,
Simul tamen parentis indignè nimis
Læſi, tuendi gloriam, & famam. *Themiſt.* Super
O nate! ſupereſt: quod cupis, cernes brevi.
Lux iſta tandem Græciæ toti meam
Probabit innocentiam. Inſanus furor,
Et æmulorum invidia, quæ nos opprimit,
Extincta tandem patriam, & famam mihi
Totique ſtirpi reddet, & amor civium
Ardeſcet in Themiſtoclem tantò magis,
Quantò magis ſævierat hactenus furor.
Cleoph. Hæc patria faxint Numina! at quonam modo
Tanta obtinere poteris? aut quid jam paras.
Them. Accede Græcos nate legatos; mone,
Urge, obſecra, obteſtare, regem Perſicum
Mecum velint adire, teſtes publici
Ipſi futuri. *Cleoph.* Sed rei cujus? *Them.* Nihil
Themiſtocli eſſe charius patria ſua.
I, perge. Plura denique eventus dabit.

SEENA QUARTA.

Themistocles. Asietta.

Asietta. Armata venio filia, armato patri
Comes futura in Græciam. Liceat pater,
Liceat sequi vestigia, & patrem simul
Sponsúmque vindicare. Muliebris licèt
Hæc dextra sit, Themistoclis tamen cruor
In hisce venis manat, hôc pectus calet.
Ibo, ibo tecum genitor, & tecum tuas
Injurias ulciscar. Argivus cruor
Deleat inustum sanguini nostro probrum,
Per tam nefanda exilia : tum sponsi quoque
Indigna rumpet vincula hæc sponsæ manus ;
Aut pro parentis gloria, & sponsi cadam
Salute læta victima. *Them.* Nimius impetus
Amoris agitat pectus, & mentem occupat.
Asietta. Castos amoris impetus, queîs liberum
Exopto sponsum sponsa, genitor improbas?
Them. Si Græcia tibi reddat Astyagen, potes
Amare; sed nunc -- *Asiet.* Reddere hunc, nolit, velit,
Debebit. Arma Persica, & manus patris
Facile

Facilè catenas rumpet; ad noſtros pedes
Brevì jacebit Græcia, & victas manus
Tendent Athenæ ſupplices. *Them.* Parcas, volo,
Verbis nefaſtis: Græciam patris tui
Memento patriam eſſe. *Aſiet.* Sed quæ te ſinu
Suo repellit turpiter, & adhuc premit,
Mortique diræ deſtinat. *Them.* Patria mea
Utcunque de me merita ſit, ſemper tamen
Colenda tanquam mater, & licèt male
Duréque tractet filios mater, tamen
Matrem vereri filii debent pii.
Aſiett. Quid iſta poſcunt verba? quid agitas pater?
Tantásne fors injurias tacitus feres?
An ponis arma turpiter, quæ Perſia
Ipsíque Divi dexteræ tuæ offerunt,
Ad puniendum gentis Argivæ ſcelus?
Them. Ad puniendum gentis Argivæ ſcelus
Argiva dextra neutiquam adhibenda eſt
Dii
Punire ſcelera ſcelere majori vetant.
Aſiet. Tuam ergo dextram contine; at mea hæc manus
Argiva non eſt: poterit hæc ſine crimine
Argiva tecta evertere, & famam patris
Sponsíque vindicare. Si ceſſas pater,
Ego ſola claſſem Perſicam, & ferrum, & faces
Inducàm in oras Græciæ, & læſæ domûs
Injurias ulciſcar. *Them.* Ergo ulciſcere

Sponsum tuum; at Themistocli renuntia.
Nec me parentem nomina, nec ultra ego
Agnosco natam, quæ meam patriam potest
Odisse. Jam recedo: non sanguis meus,
Non filia es Themistoclis. *Asiet.* Pater! ah pater!
Ne tam cruentis filiam verbis neca.
Ignosce: te per dexteram hanc semper nimis
In me benignam obtestor, ignosce impiis
Si quæ in parentem protuli, dictis. Amor
In te, tuæque injuriæ justus dolor
Me concitàrunt Græciam contra nimis.
Jam revoco dicta: studia vindictæ exuo:
Renuntiabo Astyagi, & ipsam Græciam
Amare si non potero, saltem desinam
Odisse, te jubente. *Them.* Surge filia.
Agnosco rursus sanguinem Themistoclis,
Nón postulo, ut renunties sponso tuo:
Ama nepotem regium, hoc ipsus pater
Jussi, jubeóque; sed tamen patriam meam
Læsisse caveas. *Asiet.* Obsequor jussis, pater,
Odiáque fræno - - sed tamen - - liceat modò
Interrogare, - Quid Themistocles aget,
A rege jussus arma contra Græciam
Vibrare? *Them.* Deprecabitur bellum impium
Munúsque, quod rex obtulit. *Asiet.* Cælum! - pater

Per-

Perpende regem Persicum nosti; ferox
Et pertinax, quod statuit, haud mutat; flagrat
Furore contra Græciam, hanc contra pater
Pugnare si non audeas, iram cave
Tanti Monarchæ: munus oblatum ducis
Si respuas, contemptus hic regis favor
Vertetur in furorem, & in caput tuum
Accendis ipse fulmen Assyrii Jovis.
Them. Amore patriæ fulmini expono caput.
Sed jam recede nata: legatus subit.
Asiet. Mutate mentem patris ô proni Dii!

SCENA QUINTA.

Themistocles. Cleophantus. Lysistratus. Agathocles.

Them. Adeste amici, & clariùs Themistoclis
In Græciam, patriámque mentem discite.
Ne sanguis ullus civium hanc dextram imbuat.
Rejicio regis gratiam, spes, atque opes.
Et summa honorum culmina, & munus ducis,
Quod Persicus rex obtulit in exercitu
Ultro recuso. *Lysist.* Persici munus ducis

Themi-

Themiſtocles recuſat? *Them.* In regis manus
Spectante te, depono: non ultra memor
Injuriarum, quas tuli graviſſimas,
Amare pergo Græciam. Hoc tandem unicum,
Ut innocentem patria me credat, precor.
Cleoph. Amoris erga patriam pignus poteſt
Expetere quisquam certius? *Them.* Igitur veni,
Et perge mecum nate: ſpecimen publicum
Amoris erga patriam, & fidei damus,
Corámque rege Perſico pro Græcia,
Licet inimica, ſupplices in patriam
Stricta arma deprecamur. Ipſi vos, rogo,
Adeſte teſtes, petite mecum regiam.
Agath. Doloſa vulpes! Perſici munus ducis
Et arma deprecaberis? nempe acriùs
Hac arte regis barbari accenſus furor
Contra Laconum mænia ut ſurgat, cupis,
Ut arctiùs te ſtringat aula Perſica,
Simulas receſſum: nempe ſat gnarus, tuam
Quamvis nefandam dexreram, Perſis tamen
Eſſe pretioſam. Græciam contra cupit
Armaſſe græcam dexteram rex Perſicus,
Hanc reperit in Themiſtocle, hanc non tam levis
Dimittet: huic confiſus infami ſpei
Illudere paras proditor, & orbi cupis
Fucum

Fucum facere, quasi coactus sumpseris
In patriam arma: dum interim solus dolis
Nimiùm nefastis Persiam in nos concitas.
Lysist. Cleophante! *Cleoph.* Quid? *Lysist.* Num propter hoc solum modò
Nos advocâsti? Súntne sola hæc pignora,
Per quæ probandum dixeras hodie, *nihil Themistocli esse charius patria suâ*?
Cleoph. Adverto, conjuravit in nostræ domûs
Excidia tota Græcia: Venenum invidum,
Quod Sparta dudum evomuit in Themistoclem,
Pariter Athenas inficit. Non quæritur,
An innocens, nocénsve sit Themistocles,
Sed ne videri possit alicui nocens.
Hoc Græca petit invidia. Legati quoque
Cum plebe rabidi dum rapere vitam tibi
Nequeunt, pater, saltem rapere famam parant,
Virtúsque summa, summus in cives amor,
Fidésque fraus vocatur, & dolus malus.
Them. Discede nate, solus his loquar, sine.

SCENA

SCENA SEXTA.

Themistocles. Lysistratus. Agathocles.

Them. Jam vos, amici, denuo obtestor moram
Perferte tenem, regiam mecum modò
Subite: tum cernetis, an dolo malo
Themistocles vos ludere pararit. *Lysist.* Semel
Lusos fuisse sufficit causâ tui.
Bis risui aulæ barbaræ se exponere
Vetat Character, quem gerimus, hunc Persia
Lusit satis, læsitque propter transfugam.
Them. Miserrimum Themistoclem! quidquid paro,
Dolo paratum creditur. *Agath.* Themistocles,
Ne possis ultra conqueri, quòd invida
Sparta innocentem deprimat, pronam tibi
Occasionem pando, quâ innocentiam
Probare tandem Græciæ toti queas,
Ipsamque Spartam adducere ad partes tuas;
Them. Pande, oro. *Agath.* Recipe Persici munus ducis.
Conscende promptus maria: contra Græciam
Educ phalanges barbaras: finge patriæ
Arma inferenda, finge te hostem Græciæ.
Mox

Mox prona sese occasio: & tempus dabit,
Qua Persiam per Persicos exercitus
Turbare facilè poteris, atque barbaros
Objicere Græcis ensibus. *Lysist.* Ita: ipsi
Dii,
Qui cuncta mirè; & providè semper re-
gunt,
Posuêre vires Persiæ in Græca manu.
Utare fatis: patriam si verè amas,
Et barbarorum capita felici dolo
Ferro tuorum trade, Sic demum tibi
Placare poteris Græciam. *Them.* Fraudem
impiam
Suadere cessa. *Agath.* Patriam ut serves,
dolus
Et fraus vocetur impia? *Them.* Est fraus
impia,
Si ductor Ipse militem prodat suum.
Scelus est amicos perdere infami dolo,
Lysist. Persas amicos nominas? *Them.* Queîs
debeo,
Quòd vivo, quòd possideo securos Lares,
Quos mihi negârat Græcia. *Agath.* Hæc
vox sufficit,
Proditque mentem. Cedimus, posthac
nihil
Negotia cum transfuga. *Lysist.* Perge, ad-
juva
Persas amicos; proditor patriæ tuæ.
Agath. Servi Tyranno, huic immola quan-
tum potes
Græci cruoris; forsitan primus tamen

Græcus

Græcus licèt non ampliùs, cruor tuus
Fœdabit enses barbaros. *Them.* Pacem, obsecro,
Cives petamus. *Lysist.* Patria si pacem velit,
Hanc obtinere poterit à Persis modo
Se digniore. *Agath.* Græcia erubesceret,
Debere quidquam transfugæ. *Them.* O magni Dii!
Ergóne tandem cogitis Themistoclem --

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

Artaxerxes. Megabasus.

Artax. Nova ergo pacis pacta legati offerunt?
Themistocleam nempe jam timent manum,
Cristásque discit ponere Argivus furor.
Megab. Audire regi si placet, stant ad fores.
Artax. Non, non, recedant. Justa nos ira occupat.
Consilia pacis renuo. Pro Themistocle
Ad arma totam Persiam jam excivimus,
Nec exuentur arma, nisi Themistocle
Bene vindicato. Vade, legatis refer,

Jam ſera pacis pacta: diſcedant domum,
Renuntientque civibus ſuis, nihil,
Niſi Laconum mœnia, & Athenas manu
Themiſtoclea dirutas iram meam
Placare poſſe. *Megab.* Magne rex, iras probo
Juſtiſſimas; ſed dicere tamen ſi licet:
Ne ſperne nimiùm Græciam, necque populos
Juſtum ad furorem concità, in quorum manu
Eſt vindicandi occaſio: nepotem tuum
Memento captum hærere Græcorum in manu
Artax. Memor nepotis propter hunc ipſum paro
Manu potenti bella, dum Aſtyagen ſimul
Themiſtoclémque vindico, & duo ſimul
Dilecta nobis capita ſervo Perſiæ.
Megab. Hoc opto, re; aſt interim à Græca manu,
Et inſolentis plebis audaci nimis
Furore pendet principis tanti caput.
Artax. Quis inſolens tuum occupat pectus pavor?
Megab. Perpende rex, ſi Græciam nimis premas,
Et in furorem concites plebem aſperam,
Extrema ſors audebit. Horreo dicere:
Fors prima belli victima nepos regius
Occumbet, &, quod metuo, fors primus cruor

Fundendus erit Aſtyagis auguſtus cruor.
Artax. Tam barbaras num fortè legati minas
Sparsêre? *Megab.* Certè nutat Aſtyagis caput.

SCENA SECUNDA.

Artaxerxes. Megabaſus. Aſietta.

Aſiett. Ignoſce rex. En! Supplicem ad ſacros pedes.
Artax. Quid poſtulas Aſietta? *Aſiet.* Neſcio ipſamet,
Quid poſtulare debeam: Sponſo, Patri,
Utrique timeo, bella ſi in Græcos moves
Monarcha. *Megab.* Sponſa jure pro ſponſo timet.
Rex magne, dixi: nutat Aſtyagis caput.
Artax. Fundere cruorem regium haud verebitur
Magiſtra morum Græcia? hæcne humanitas,
Qua gloriari ſemper Argivi ſolent?
Megab. Humanitatem plebis ignorat furor.
Eſt bellua ferox populus: in Republica
Athenienſi populus ad clavum ſedet,
Quem nulla frænat ratio, ſed furor rapit.
Nécque revereri principes ultra ſolent
Irata plebis pectora: ut ſe vindicent
De rege, de Themiſtocle, & de Perſia,
Habent

Habent nepotem regium, Themiſtoclis
Generum, coronæ Perſicæ hæredem in manu.
In hunc cruenti ſævient: primum omnium
Hunc immolabunt. *Artax.* Jura belli ſic vetant
Tractare captos. *Megab.* Jura nil curat furor.
Fors prima belli victima nepos regius
Occumbet, &, quod dixeram, primus cruor
Fundendus erit Aſtyagis auguſtus cruor.
Aſiet. Horrore pectus infremit. Sponſi caput
Tanto in perîclo? Præveni has, ô rex minas.
Megab. Non impedire poterit omnis Perſia
Necem cruentam principis, ſi Græciæ
Exaſperatus populus hanc necem velit.
Artax. Sed vindicare poterit enſis Perſicus,
Nefas cruentum ſi audeat Græcus furor,
Et, juro, vindicabit. *Aſiet.* Ah! quid proderit
Vindicta ſera Aſtyagi? Heü! ſpouſum mihi
Non reddet omnis Græciæ effuſus cruor.
Megab. Monarcha, cohibe paululum juſtas faces,
Pacémque ſaltem finge, donec liberum

Vinclis nepotem videris quoquo modo,
Et interim audi nuntios pacis. *Artax.* Minis
Extorta pax nos dedecet. *Megab.* Haud minis adhuc
Egêre Græci: supplices potius, rogant,
Et regii nepotis ipsimet studens
Servare vitam, & liberum spondent tibi
Reducere. *Asiett.* Et cur igitur hærebis diu?
Ah! redde pacem Græciæ, ut reddat suum
Regi nepotem, Persiæ hæredem. *Artax.* Nihil
De me meretur Græcia, nisi vindicem,
Et fulminantem dexteram. *Megab.* Fateor, nihil
De te meretur Græcia; Astyages tamen
Ope indiget: nepotis, ô rex, sis memor.
Vel vita, vel mors ejus in Græca manu est.
Asiet. Sat ipsa video, & ipsamet jam deprecor,
Quæ bella prius optaveram, nondum videns
Sponsi inchoanda cæde. Legatos juvat
Audire saltem. En! denuo ad sacros pedes
Sponsique causa supplicem sponsam vides.

Ne

Ne, regium objice ſanguinem inſanæ nimis
Plebis furori: Græciam irrita minus.
Artax. Aſietta ſurge: precibus hoc tuis dabo,
Et pacta pacis audiam. *Aſiet.* Ah me improvidam!
Pronuntio pro Aſtyage ſed damno patrem,
Cujus cruore forſitan pax hæc nova
Firmabitur. Succurrite afflictæ Dii!

SCENA TERTIA.

Artaxerxes. Aſietta. Lyſiſtratus, Agathocles.

Lyſiſt. Monarcha, noli credere armorum minis
Perterritos, fractóſque Græcos denuo
Rogare pacem: bella non terrent viros,
Quos inter arma genuit, & lactis loco
Hoſtûm cruore patria nutrivit diu.
Illud tamen miramur, & meritò quidem,
Bellum minari Perſiam, dum Græcia
Placere regi Perſico ſtudet unicè.
An quòd nepotem regium ſalvum cupit,
Vinclisque ſolvere liberum, iram regiam
Argos meretur? Noſtra quid legatio,
Niſi ſalutem Aſtyagis, offert Perſiæ?

Artax. Offert nepotem Græcia; at quanam impia
Quanam cruenta lege? Vult tradi sibi
Caput innocentis? Hospitis? Themistoclis?
Agath. Non credidisset Græcia infamem exulem
Summo Monarchæ Persiæ tanti fore,
Ut regii nepotis & vitam, & caput
Huic transfugæ postponeret. Quod si tamen
Ut jam videmus, exulem tanti facis,
Pro liberando principe lytrum Græcia
Admittet aliud: pacta legati nova
Offerre Persis possumus, quibus simul
Regi nepos reddatur, & pax gentium
Firmetur, arcto fœdere. *Artax.* Et Themistocles
Quid? *Lysist.* Agere de Themistocle haud ultra vacat.
Deponat ille imperia classis Persicæ,
Et arma: deinde, si quidem rex postulat,
Sed non per arma, & bella; fors in gratiam
Tanti Monarchæ Græcia ignoscet reo,
Et vivere patietur æternum exulem.
Artax. Satis superbè regibus leges dare
Argivus audet civis; in tuam tamen,
Asietta, tandem gratiam pacem dabo.
Fulménque jam paratum in Argorum caput
Cohibeo, licèt invitus: addita tamen

Hac

Hac lege: nempe ſupplices Themiſtocli
Veniam rogate: Græciæ, cujus modò
Legati adeſtis, nomine illatas viro
Injurias, & damna deprecemini,
Famáque tandem reddita Themiſtoclem
Pronuntiate ſceleris expertem palam,
Et innocentem. *Lyſiſt.* Supplices Themi-
ſtocli,
Et proditori Græciæ Græci ſient?
Et Græciæ legati? *Agath.* In antiquum
Chaos
Prius redibit Græcia, & Perſia ſimul.
Et ſtrage ſemet mutua exſcindent prius
Europa, & Aſia, quàm nefando transfu-
gæ
Ignoſcat unquam Græcia. *Lyſiſt.* Hinc diſ-
cedimus,
Et opperimur bella, quibus exordium
Ferale poterit dare Themiſtoclis furor.
Sed mox ſequetur pœna: pro ſocero ge-
ner
Nefas piabit: fuſus Aſtyagis cruor
Sedare forſan poterit injuſtas faces,
Quas in paterna mœnia exul improbus
Accendit: Uno in capite ſe de Perſia
Sat vindicabit Græcia. *Aſiet.* Ah! rex, ob-
ſecro,
Conſilia mitiora. *Artax.* Nil ultra audio:
Si ſit neceſſe, pereat Aſtyages nepos:
Themiſtoclem defendo non tantùm uni-
us
Chari nepotis capite, ſed meum quoque

 Dabo

Dabo cruorem promptus. Huc ruptâ morâ
'Themistocles vocetur, & signum tubæ
Exercitum omnem congreget, adhuc hac die
* Ad Legatos. Movenda castra. Vos * procul regnis meis
Discedite. - Imò sistite: Veto è Persia
Pedem movere: nempe pro Astyage meo
Pignus manebit Persiæ vestrum caput.
Et si cruentas Græcia audebit manus
Regis nepoti injicere, Legati luent.
Lysist. Apello jura gentium, quibus sacer
Character est legati. *Artax.* In arce proxima
Custodiantur ambo. Nil sponso time
Asietta posthac: obsides Græcos habes.

SCENA QUARTA.

Asietta sola.

Quàm varia subeo fata! quot motus premunt,
Agitántque pectus anxium! & spes, & metus,
Amor, dolórque, patris, & sponsi salus - -

SCENA

SCENA QUINTA.

Themistocles. Asietta Cleophantus.

Them. Regi locuta es filia? An vera audio?
An pacta pacis Græcia obtulit nova
Pro liberando Astyage? nec jam patriæ
Inferre bella cogitur Themistocles?
Asiet. De pace genitor, quæso, noli ultra loqui.
Ardescit ira regis in Græcos nimis.
Custodiæ jam uterque legatus datus.
Them. Custodiæ legatus, & uterque, est datus?
Et hoc jubente rege? *Asiett.* Pro capite sui
Nepotis Argos obsides rex detinet.
Ne durius quidquam audeat in hunc principem
Furor Laconum, vincla legatos tenent.
Them. Cuncta ergo pacis consilia rex respuit?
Asiet. Urget ferocior arma, nec patiens moræ,
Et Græciam vult perditam, nisi veniam
Precentur à Themistocle Argivi duces,
Pronuntiéntque sceleris expertem palàm.
En! quanta regi cura pro fama tua,
Quantus favor. *Them.* Heu! nimius hic regis favor,
Amórque, quas angustias nobis parit!

Ingratus esse cogor in regem optimum,
Si bella renuo, & Persici munus ducis;
Vel impius, si patriæ bella infero.
Quid consilî? Tandémne bella Græciæ
Argiva dextera inferat? *Cleoph.* Famæ tuæ
Parens amate consulas. Quid posteri
Quid fera dicent sæcla de Themistocle?
Afiet. Quid ergo dicent? nempe pœnas debitas
De civibus rebellibus Themistoclem
Sumpsisse. *Cleoph.* Sed simul Lares patrios, Deos,
Et templa prodidisse genti barbaræ,
Et mancipâsse patriam æterno jugo
Hostis ferocis. Hanc pater famam cupis
Post te relictam? *Patriæ eversor* fiet
Illustris ille titulus in tumulo tuo
Scribendus olim? *Them.* Nate cessa pluribus
Turbare mentem jam diu afflictam satis.
Sat ipse video, fama quid apud posteros
Sparsura sit, si patrium evertat solum.
Matrisque fodiat viscera ipse filius.
Æterna nempe infamia infaustum opprimet
Themistoclem, stirpémque totam posteris
Heu! reddet execrabilem. Sed, quid jam agam?

Regi

Regi resistam Persico? Jussa abnegem
Tanti Monarchæ? *Asiet.* Genitor, ah! cave, obsecro,
Tanti furorem regis in caput tuum,
Nostrúmque provocare, non ultra licet
Themistocli dubitare: contra Græciam
Sumenda denique arma sunt: nolis, velis.
Cleoph. In patriam arma stringere pietas vetat,
Decúsque famæ prohibet. *Asiet.* At cogit tamen
Necessitas, & proprii capitis salus.
Vitæ tuorum consule. *Cleoph.* At famæ simul,
Hæc salva nescit stare læsâ patriâ.
Asiet. Nec vita stabit salva, si pater negat
Parere regi Persico. *Them.* Ah! nati mei
Charissimi, digníque plurimùm patre
Feliciore! Video, non superest via,
Qua crimen evitabimus, nisi nova
Exilia. - - - - -

SCENA SEXTA.

Themistocles, Asietta, Cleophantus. Olynthus.

Them. - Adesto Olynthe. *Olynt.* Quid ductor jubes?

Them.

Them. Hucusque fidus per tot exilia meam
Sortem ſecutus, anné me porrò ſequi
Audebis ô Amice? *Olynth.* Parcas, obſecro,
Huîc quæſtioni: præſtita hactenus fides,
Ut ſpero, non meretur in dubium trahi,
Et quamvìs arma in patriam invitus fero,
Ubi tamen Themiſtocles præit, ſequor.
Them. Veni ergo; promptam proximum ad littus ratem
Conſcende mecum. Nata, fili, jam cape
Parentis amplexum ultimum: fugio procul
E Perſia, atque Græcia, atque orbe integro
Æternus exul. *Aſiet.* Genitor, ah! ſiſte impetum
Nimis inquietæ mentis. *Cleoph.* An fugam paras?
Et quò? vel unde? *Them.* Sola me fuga crimine
Omni explicare poterit. *Aſiet.* Ah ſiſtas pater!
Cleoph. Vel ſi fugam meditaris, & comites fugæ
Nos accipe: patrem ſequimur, exulem exules.
Them. Non, non. Manete, & vivite beatos dies,
Nata opperire in Perſia Aſtyagen tuum;
Tu nate verò in Græciam promptus redi.

Solus

Solus fubeat Exilia malefauftus pater,
Felixque proles vivat. *Afiet.* Ah ceffa pater
Suadere nobis talia. *Cleoph.* Quid in Græcia
Aut Perfia fperare fine patre audeat
Deferta proles? *Afiet.* Nempe fanguine eluet
Fugam parentis filia, & loco tui
Regis furori victima hoc cadet caput.
Cleoph. Nécque Cleophanto reditus in patriam patet.
Argiva plebs in filio plectet patrem.
Fugiamus una; fiquidem fuga, genitor,
Tibi ftatuta eft. *Olynth.* Sera jam nobis fuga
Occulta: nullus exitus liber patet,
Obfeffa cuncta littora armata manu.
Them. Video, fugæ vix ullus eft locus fuper.
Et fi pateret quispiam, an poffim tamen
Deferere talem filiam, aut mecum exuli
Sponfum, thronúmque rapere? tótque miferiis
Exponere hoc chariffimum natæ caput?
Damno fugæ confilia, quæ damnant Dii.
Ipfi Dii nos Perfia excedere vetant.
Afiet. Manebis ergo in Perfia? *Them.* Et pro Perfia
Tandem fidelis ftabo, vel, fi opus, cadam.
Cleoph. Pugnabis ergo in patriam, & manu tua

Stru-

Structas Athenas subruet eadem manus?
Asiet. Sic Fata cogunt. Græcia imputet sibi
Quæ vindices promeruit, & dudum manus.
Them. Sic est. Sequemur Fata. *Cleoph.* Vale igitur pater.
Dextram paternam exosculor; sed ultimùm.
Discedo, ne vel impius contra patrem,
Patriámve cogar esse, vel saltem improbam
Audire famam, quæ Themistoclem brevì
Ut proditorem Græciæ fœdo nimis
Ore lacerabit. Exul inquiro ultimum,
Quò fama non pertingat, orbis angulum
Them. Ah nate! siccine lancinas pectus patris?
His parce verbis. *Cleoph.* Parce tu famæ tuæ.
Asiet. Ah frater! importuna consilia patri
Offerre tandem desinas: ipsus vides,
Non alia, præter arma, jam nobis via
Superest salutis. *Cleoph.* Quid juvat vita, & salus,
Dum fama tota perditur? *Them.* Magni Dii!
Ergo supersit nullus in terris modus,
Per quem meorum capita, famam, patriam
Possim simul servare? *Olynth.* Quæramus Deos.

Sacrum

Sacrum Minervæ facimus: hæc forsan dabit
Consilia, queîs & Persiæ, atque Græciæ
Fecisse sat Themistoclis virtus queat.
Them. Consilia sequimur: vota faciamus pii
Deæ Minervæ. *Cleoph.* Semper hæc favit patri,
Favebit etiam hodie. *Asiet.* Timeo Græcam Deam.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA

Artavasdus. Lysistratus. Agathocles. Comites.

ARtav. Hîc opperiri regis, & Themistoclis
Præsentiam jubemini. *Lysist.* Quis hoc potest
Jubere? *Agath.* Protestamur: imperii nihil
Sibi petat in nos Persa: Legati sumus,
Et Jure gentûm liberi. *Lysist.* Tutum peto
In Græciam reditum mihi. *Artav.* Tutum brevì
In Græciam Themistocles reditum dabit,

Ipsúsq-

Ipsúsque vos deducet armata manu
Custos fidelis. Ferte perbrevem moram :
Mox aderit, atque insignia ducis Persici
In æde sacra capiet à regis manu.
Solennitatis publicæ testes cupit
Cives suos Themistocles. *Lysist.* Vah proditor!
Exultat ipso in crimine, & sic patriæ
Illudit effrons? *Agath.* Unicum hoc defuit adhuc
Scelus impudenti transfugæ, ut coram suis
Concivibus jurare hostibus fidem.
Et en! propinquant. *Lysist.* Refugit animus cernere
Spectaculum hoc infame. *Agath.* Videamus tamen,
Testes futuri Græciæ, qualis fiet
Themistocles: num Sparta non sontem premat.

SCENA SECUNDA.

Artaxerxes. Lysistratus. Agathocles. Artavasdus. Duces Persici, & milites. &c.

Artaxer. Nostísne Græci, quale delubrum hoc? cui
Deo sacratum? Cernitis tumbám, & sacros
Cineres parentis: Anima Xerxis hoc loco
Recumbit: hæc, hæc vindices dudum manus
Incla-

Inclamat, & quod Græcia intulit probrum
Famæ parentis, ſanguine Argivo petit
Dudum expiari à filio: lentus tamen
Juſtum furorem, & arma ſuſpendi hacte-
nus,
Manésque tanti regis, & patris tuli
Errare inultos inter umbroſam ſtygem.
Sed dum meum Themiſtoclem injuriis
novis
Laceſſere audet Græcia, & tantum virum
Non ceſſat usque perſequi, haud ultra mo-
ras
Vindicta patitur. Bella jam vobis palàm
Indico Græci. Teſtor hos ignes ſacros,
Cinerésque patris: arma, quæ ſtringit mo-
do,
Non ponet umquam Perſa, donec debitâ
Græci cruoris victimâ Manes patris
Placârit, & Themiſtoclis mei ſimul
Injurias de Græcia ingrata nimis
Ita vindicârit, integer ut Orbis tremat,
Timeátque porro lædere Aſſyriam ma-
num,
Aut quos amicos Aſſyria junxit ſibi.
Lyſiſt. Juramus & nos per ſacros cineres pa-
trum,
Quòd arma contra Perſica, & Themi-
ſtoclis
Contra furorem Græcia, quot habet, vi-
ros
Fortes ſit eductura, nec gl dium prius
Ponent Athenæ, debitas donec Diis

Patriæque pœnas dederit exul improbus.
Patriæ Deûmque proditor Themistocles.
Agath. Sinas modò discedere. *Artax.* Manete, impero.
At vos Gradivi decora, Persici duces,
Præstate dextras vindices umbris patrum.
Æquata terris mœnia, Argivus cruor
Campos inundans, cædibus stratum mare,
Unóque tota Græcia ardescens rogo,
Hæ vindices debentur exequiæ patrum
Regúmque mœstis Manibus. Vel, si parùm
Vos mortuorum nomina, & Manes movent,
Ad vos gemens è cacere Astyages manus
Tendit ligatas: principem vestrum Syri
Non sustinete in plebis Argivæ manu
Hærere captum, eripite regium caput
Græco furori: reddite nepotem mihi.
Artavasdus. Rex magne, nullis Persa stimulis indiget,
Dum bella contra Græciam Græco duce
Movenda sunt. Quin ægra jam perfert moras
Armata classis: avida præsentem sibi
Themistoclem videre suspirat ducem.

SCENA

SCENA TERTIA.

Perſonis prioribus accedit Themiſtocles.

Them. Ignoſce rex, ſi tardiùs venio: ſacrum
Offerre Divis cœperam; abrupi tamen
Te poſtulante. *Artax.* Venis adhuc in tempore.
Sunt vindicandi jam modò Manes patris,
Tuæque ſimul injuriæ, & Græca manu,
Eſt punienda Græcia: hoc ardent duces,
Hoc tota poſcit Perſia, hoc rex imperat.
Them. Monarcha, quamvìs dextera hæc valeat parùm,
Pluréſque numeret Perſia, & claros duces;
Nulli tamen plus competit Manes tui
Parentis, atque Perſiæ illatum probrum
Ulciſcier, quàm dexteræ Themiſtoclis:
Hæc ſola namque dextra tot quondam intulit
Strages cruentas Perſiæ, ſola hæc tuum
Patrem fugavit, Perſicam hæc claſſem mari
Demerſit, hæc tot ſpolia, & Aſſyrias opes
Intulit Athenis: denique omnem Græciam
Jamjam paratam colla Perſarum jugo
Submittere, una tenuit, & Xerxis manu

Jam comprehensa sceptra in Argivas plagas
Extorsit; ergo decet, ut hæc eadem manus
Inimica quondam Persiæ, at modò sacra
Summo Monarchæ Persiæ, damna reparet,
Aut vindicet, dignámque læsis Manibus
Xerxis det ipsa victimam, atque Persia
Tot fracta quondam cladibus per hanc manum,
Se vindicatam sentiat per hanc manum.
Agath. Vah proditorem! *Lysist.* Refugit hos auris sonos.
Artax. Hæc ipsa regis vota sunt. Themistoclem,
Solúmque summum destino Persis ducem.
Te nisi jubente, nemo tentare audeat,
Quidquam; jubenti nemo se opponat; sciant
Omnes subesse: si quis obsistat duci,
Tanquam rebellis regiis jussis luat,
Læsæque Majestatis habeatur reus.
Sic patria juro Numina, & Manes patris.
Them. Spondéntne prompti pariter Assyrii duces
Et has ad aras, per sacram Xerxis animam,
In hocce contra Græciam belli impetu
Nullum, nisi Themistoclem ducem sequi?
Mea

Mea revereri imperia, nil meo ſine
Tentare nutu? denique audere omnia
Jubente me, vetante moliri nihil?
Artavasd. Ignem ſacrum teſtamur, & ſolis faces,
Animámque Xerxis, Græciæ contra Lares,
Nullum, niſi Themiſtoclem, ſequimur ducem.
Them. Per patria pariter Numina ego jam ſpondeo,
Juróque regi Perſico æternam fidem.
Irata Græcis anima Xerxis jam diu
Placanda Græco ſanguine eſt. Manu mea
Tanto Monarchæ victimam dignam dabo.
Non ſanguinem, qui plebis è vena fluit,
Illuſtris umbra Perſici regis ſitit:
Eſt immolanda grandior Xerxi hoſtia,
Et Optimatum ſanguis hanc tumbam imbuat.
Eyſiſt. Infande nimiùm proditor, coram tuis
Concivibus non erubeſcis talia?
Agath. Rex, ergo talem ſeligis belli ducem?
Credisne fidum Perſiæ, & tibi fore,
Qui perfidus ſit patriæ, & patriis Diis?
Artax. Ceſſate probris perfidi ipſi, & impii.
Primi expuliſtis patria inſontem virum.

Them. An proditoris nomen infandum nimis
Themistocli conveniat, ætas postera
Dijudicabit. Interim iteratam fidem
Obstringo: Manes Xerxis, Astyagis caput,
Tuas, meásque injurias tali modo
Ulciscar, ut vel sera posteritas adhuc
Themistoclis meminerit. At liceat prius
Jam cœpta sacra absolvere, & pronos Deos --

SCENA QUARTA

Personis prioribus accedit Asietta.

Asiet. Auguria mira, genitor, & læta affero:
Dum nempe, quod paraveras sacrum Diis,
Vocante rege abrumperes, taurum interim
Jam stantem ad aras, propria frater manu
Parabat immolare: cùm vates sacer
Occurrit, ora rabidus, & plenus Deo
Orâcla cœpit fundere. *Them.* Quid ergo canit?
Asiet. Nempe ore sacro verba non dubia dedit:
Themistocles det solus, & promptus Diis,

Quam

Quam destinavit victimam. Tauri cruor
Græco cruori mistus æternum decus
Themistocleo nomini, & stirpi dabit.
Quem nempe destinaveras taurum Deæ,
Jam stantem ad aras, dextera hunc tua, pater
Mactare decet, in victimam, & hujus cruor
Græco cruori, qui brevì largus fluet,
Miscendus, & libandus est justis Diis.
Sic vindicata Persia æternum decus
Themistocleo nomini, & stirpi dabit.
Artax. Sunt clara verba oraculi. En Græci! modò
Ipsi Dii vos deserunt, ipsi petunt
Græcum cruorem. *Lysist.* Credite, favebit duci
Novo Minerva, qui Minervæ evertere
Delubra & aras sacrilega tentat manu.
Agath. Grates Diis sint maximis: jam puniunt
Themistoclem, dum patrios stultum furens
Ad subruendam patriam invitat Deos.
Them. Aliter brevì loquemini. Pergo interim,
Dea petente compleo abruptum sacrum,
Et destinatam victimam hac manu immolo.
Tauri cruorem Græcus excipiet cruor.
Artax. I, vota comple Numinum, & brevì redux

 Sacris

Sacris peractis, omine beato cape
Hæc jam parata insignia supremi ducis.
Lysistr. At nos videre neutiquam hoc probrum decet.
Dimitte rex, & liberos tandem sinas
Abire. *Agath.* Gentûm jura legatos vetant
Vi detineri. *Artax.* In Græciam redibitis
Cum classe nostra: fida vos ducet manus.

SCENA QUINTA.

Asietta. Lysistratus. Agathocles.

Asiet. Audite Græci, an improbas porrò minas
Audetis intentare? num nostram domum,
Stirpémque primum fulmen armorum petet?
An prima belli victima Astyages cadet?
Lysist. Præceps nimis Asietta jam plaudis tibi.
Devicta necdum Græcia, aut sponsi tui
Soluta vincla. *Agath.* Juro per patrios Deos,
Urgebo Græcos ipsus, ut etiam mei
Capitis periclo Astyagis abscindant caput,
Et in nepote regio regis scelus,

Et

Et Jura gentûm vindicent, tam turpiter
Violata. *Lysistr.* Promptus & ego cervicem offero
Ferro Tyranni, si modò videam simul,
Id quod videbo, Astyagis infensum caput
Collo revulsum. Crimina Soceri gener,
Credas, piabit. *Asiet.* Rideo has minas.

SCENA SEXTA.

Asietta. Cleophantus. Lysistratus. Agathocles.

Cleoph. - - - - Soror,
Accedo tandem partibus, quibus Dii
Ipsi palàm accessère. Damnavi hactenus
Bella inferenda Græciæ: timui Deos,
Et denigrandam à posteris famam patris;
Sed ipsa jam Minerva Græcos deserens
Græcum cruorem suadet effundi manu
Themistoclis. Minerva vindictam probat,
Et arma contra Græciam, & Themistocli
Totique stirpi spondet æternum decus.
Asiet. Nunc denuo cognosco te fratrem meum,
Dum Græciam audes spernere. *Cleoph.* Nihil Græciæ

Debemus ultra. Sola jam patris salus,
Et fama stirpis occupat mentem meam.
Accedo regem Persicum: promptam offero
Ad arma dextram: castra genitoris sequor.
Asiet. Me jungo comitem utrique, si pater annuat,
Sponsùmque vindicabit hæc sponsæ manus.

SCENA SEPTIMA.

Agathocles. Lysistratus.

Agat. En Viperas! Themistoclis verum genus.
I, perge, prode patriam, & manu impia
Incende tecta civium: isthoc nomini
Themistocleo pariet æternum decus.
Lysist. An vera tandem oracla credis? Patriam
Sic deserent patrii Dii? An poterit suas
Minerva Athenas spernere? Imò vindicem
Ipsa incitare dexteram in Græcos Lares,
Semper Minervæ Numini, & cultuî sacros?
Horrescit animus turbidas Cœli minas.
Themistocles det solus, & promptus Diis,

Quam

Quam destinavit victimam. Tauri cruor
Græco cruori mistus æternum decus
Themosticleo nomini, & stirpi dabit?
Agath. injusta nimis oracula, injusti Dii,
Qui proditori sceleris audent præmium
Spondere, qui, quod cuncta jura gentium,
Imò ipsamet natura damnârunt, probant.
Lysistr. Cave, lacessas jam sat iratos Deos.
Agath Iram Deorum sola meruit civitas
Atheniensis, quæ Themistoclem Diis
Mortalibúsque perfidum partu nigro
Effudit, & nutrivit in patriæ probrum.
Adscribet omnis Græcia ruinas suas
Solis Athenis: prodiit vestro è sinu
Nefandus hic, qui scelere non uno Deos
Hominésque contra Græciam totam excitat.
Lysistr. Pudore, fateor, obruor, plus quàm metu
Mali imminentis. Interim quid consilî?
Dum patriam jam deserunt patrii Dii?
Agath. Perire, si perire nos jubent Dii;
Sed non inultos, juverit: per funera
Millena, strages inter & busta urbium
Nôrunt Lacones fortiter stare, & mori.
Post strata demum mœnia, eversos Lares,
Has exprimemus sanguine Argivo notas:
Atheniensis Græciam evertit. Lysistr. Pudor,
Et dolor, & ira - - nescio - - Vah proditor!

SCENA

SCENA OCTAVA.

Artaxerxes. Themiſtocles. Cleophantus. Aſietta. Lyſiſtratus. Agathocles. Artavasdus. Duces, & milites Perſici &c.

Artax. Reditne jam Themiſtocles meus? *Them.* Sacris
Tandem peractis. *Artax.* Ergo ſupremam manum
Solennitati imponimus. Perſæ duces,
Oracla læta audiſtis: approbant Dii
Diuturna vota Perſiæ, & Themiſtoclem
Ultrò obtulêre vindicem noſtri ſimul
Suique honoris. Græciam Græco duce
Aſiæ parant ſubmittere benigni Dii.
Hæc dextra quondam Perſiæ terror, modò
Fulcrum, ſalúsque Perſiæ eſt. Igitur cape
Hæc ſceptra militaria, & felix rege
Syrias phalanges, cingat & ferrum latus.
En trado gladium regium, hunc plenum hoſtico
Cruore regi victor ex Argis refer.
Injurias tot vindica, atque Græciæ
Spoliis onuſtus reddito generum tibi,
Mihi nepotem, filiæ ſponſum, domuî
Tuæque ſtirpi denique æternum decus.
Artavasdus. Rex magne vive. Vive Dux Themiſtocles.

Them.

Them. Rex magne vive, Persia, & Græcia
simul,
Triumphet. Unus occidat Themistocles.
Repeto: Triumphet Persia, & Græcia si-
mul,
Pro utraque solus occidat Themistocles.
Cleoph. Quid ista verba genitor? *Asiet.* Et
quis heu! sedet
In ore pallor? *Tem.* Nate, sustenta pa-
trem.
Jam corpus ægrè - - *Artax.* Numina! quid
isthoc rei?
Agath. Jam proditorem puniunt justi Dii.

SCENA NONA.

*Personis prioribus accedit Olynthus pa-
teram manu ferens.*

Olynth. Succurre patri filia. *Asiet.* Quid er,
go accidit?
Olynth. Horresco referens: nempe ubi sa-
crum Deæ
Pronus peregit propria taurum manu
Mactans ad aras, sanguinem paterâ sacrâ,
Ut postulat mos, excipit; tum, nescio
Quid, miscet, ac stupente me poclum
ebibit,
Calido cruore victimæ spumans adhuc,
Et, quod, tremiscit lingua - - deprêndi
modò

Mistum

Mistum veneno. *Cleopb.* Genitor ah quid -
Astet. ô Dii !
Artax. Et ista cur Themistocles? vel quis
furor
Sumere venenum compulit? *Them.* Amor
patriæ,
Et grata mens in Persiam simul. Data
Promissa, rex, exsolvo: Xerxis Manibus
Do victimam, quæ sola placare poterit
Umbras Monarchæ, Græciæ irati. Manu
Themistoclea læsus est parens tuus,
Themistoclea pariter est ultus manu,
Hostémque, quem gravissimum quon-
dam sibi
Obstare Xerxes senserat, Themistoclem
Jacere cernit victimam ad tumbam su-
am.
Artax. Non victimam Themistoclem
Xerxes petit,
Sed improborum sanguinem, & manu
tua
Eversa tecta Græciæ. *Them.* Hoc vetant
Dii,
Pietásque patriæ debita, & pro hac victi-
ma
Occumbo lætus. Parce rex patriæ meæ,
Et arma cohibe. Nôstis Assyrii duces,
Quid has ad aras per animam Xerxis sa-
crum
Jurâstis omnes: nempe contra Græciam
Nullum, nisi Themistoclem ducem se-
qui.

Jam

Jam ſtate pactis: progredi haud ultra licet
Ad arma, niſi præiverit Themiſtocles,
Et vos, amata capita, concives mei,
Themiſtoclem pro Græcia, & patria ſua
Spectate promptam victimam, & tandem, obſecro,
Tandem innocentem credite. *Lyſiſt.* Ah Themiſtocles!
Agnoſco ferus - - *Agath.* Improbè Sparta, fateor,
Eſt perſecuta ſanguinem tanti viri,
Indigna tali cive. *Them.* Rex, vides modò,
Quod poſtulâras, ſupplices Græcos mihi,
Jam vindicatæ injuriæ meæ ſatis.
Si proprias perſequeris, En! tauri cruor
Græco cruori miſtus, hunc ſolum Dii
Petiêre; rex ſufficiat hic ſolus tibi,
Themiſtoclésque ſolus eluat nefas;
Si quod peregit Græcia. *Artavasd.* O fortem virum,
Nimisque amantem patriæ! *Artax.* Ah Themiſtocles!
Reſume vitam, & ſpiritum. *Them.* Pro patria
Depono promptus ſpiritum. Patriæ modò
Rex magne parcas. *Aſiet.* Genitor, ecce pharmacum!
Hoc ſume promptus. ejice venenum citus,

Them.

Them. Sera medicina eſt. -- Patriæ parce, obſecro,
Rex magne. -- Cernis ſupplicem Themiſtoclem.
Artax. Vivas modò Themiſtocles, & ſpiritum
Reſume. Parcam Græciæ, pacem tuis
Donabo precibus. *Lyſiſt.* Vive, conſerva hoc caput
Amore patriæ, quæ ſuo derrum ſinu
Te ſtringit, & per brachia hæc mea revocat.
Agath. Vive, tibi Sparta reddet ereptum decus,
Quin reddet etiam filiæ ſponſum lubens
Placata Perſis patria. Tu vivas modò.
Them. Quin immò, nunc, nunc moriar, & lætus quidem.
Impleta ſunt oracula. En! *Tauri cruor*
Meo cruori miſtus æternum decus
Themiſtocleo nomini, & ſtirpi parit.
Placata patria, & Perſia eſt per hanc manum,
Tibique, nata, regius thorus, tibi
Fili reditus in Græciam -- *Olynth.* Vox deficit.
Them. Rex magne dextram -- liceat in hujus oſculo
Themiſtocli exſpirare -- *Artax.* Siſte, per Deos,
Ah ſiſte grandis anima! vel ſi te vocant
Fata, ſepeli hoc in pectore, & regis tui
In

n corde conde ſpiritum heroum. *Olynth.* Occidit.

Cleoph. Patrem, ſoror, perdidimus. Heû! quid jam ſuper?

Lyſiſtr. Et patria tota perdidit civem optimum;

Agath. Sed glorioſa morte, quia pro patria.

Lyſiſtr. Rex, redde ſaltem mortuum patriæ ſuæ

Themiſtoclem. Cadaveri tandem dabit,
Quem pertinax negaverat vivo locum
Ingrata nimiùm Græcia, & tanto viro
Indigna. *Artax.* Tantum Perſia theſaurum nequit
Dimittere: ipſa ſtatuet Heroum duce
Digna monumenta; regio in tumulo cinis
Themiſtoclis quieſcet. *Lyſiſtr.* At partem tamen
De cinere tanti Herois indulge, obſecro.
Agath. Reddet nepotem Græcia incolumem ſibi,
Tu redde tantùm Græciæ exuvias viri,
Qui ſic amavit Græciam. *Artax.* Partem dabo;
Partem mihi retineo. Sic Themiſtocles
Diviſus inter Græciam, atque Perſiam
Utramque gentem fœdere æterno uniat.
Lyſiſtr. Cleophante mecum in Græciam tutus redi.

Agnoſcat in te patria redivivum patrem.

Artax. Aſietta mecum maneat, & Themiſtoclem
In filia ſuperſtitem Perſæ colant.

Aſiett. Ah! Filiæ cum patre jam liceat mori!

O. A. M. D. G.



OB-

OBSERVATIONES

IN THEMISTOCLEM.

Videor in hac Tragœdia ab Aristotelico dogmate, studiosè hactenus à me observato, recedere, dum Themistoclem produco omnino probum, & sine vitio; quin, ut animi vel in patriam, vel in regem ingrati vitium effugeret, mortem spontaneam eligentem. Nisi hoc ipsum vitium dixeris, mortem sibi conscīscere, quod quidem gravissimum scelus esse lex Christiana nos docet, sed Ethnica antiquitas ignoravit; immo gloriosissimum mortis genus credidit, se ipsum vel Diis, vel patriæ, & communi bono etiam manu propria immolare. Itaque Themistocles Ethnicus ex Ethnicorum legibus & moribus probus haberi potuit, & Romano etiam Catone melior: hic enim vitam sibi eripuit, ne alieno sub imperio viveret, quin nece suaRomæ profuerit: Themistocles sua morte pacem, & libertatem patriæ servavit. Verùm hæc ipsa probitas non videtur Aristoteli in theatro probari: docet enim *C.* 11. *art.* 1. *de Poëtica*: *minimè decere bonos & æquos viros ex felicibus infelices factos in scenam inferre: ut quod terrifici, miserandive nihil habeat, sed scelesti.* sive, ùt interpretes explicant, scena, in qua probus exagitatur, & patitur, plus indignationis in persequentem, quàm commiserationis in patientem excitat, adeóque nihil habet *miserandi*, Neque timorem movet, quo vitium in spectatore purgetur, cùm Heros sine vitio incidat in miseriam. Itaque nihil habet *terrifici*. Denique habet aliquid *scelesti*, & à virtute abstrahit

 potiùs,

potiùs, quàm ad eam allicit, dum virtutem infelicem proponit. Videtur tamen Cornelio hoc Aristotelis dogma exceptionem pati. Primò quando probus quidem premitur, sed ita, ut in persequente plus infirmitatis, quàm malitiæ appareat, quia tunc non tanta excitatur invidia, quæ commiserationem opprimat, cujus exemplum ponit Felicem in suo Polieucto. Sic & in Themistocle Græciæ legati virum probum persequuntur non ex malitia, sed errore decepti, dum graviter à Græcis læsum Themistoclem gravia contra Græciam in aula Persica moliri non temerè suspicantur. Atque ita non tantùm indignationis in prementes Græcos spectator concipit, quin plus commiserationis in Themistoclem sentiat.

Idem Cornelius affirmat; Aristotelem non in omni Tragœdia timorem & commiserationem simul requirere, sed commiserationem etiam absque timore, sufficere, quam sententiam & ipse in suo Polieucto, Nicomede, & Heraclio secutus est. Quamquàm in Themistocle non desunt, quæ etiam timorem injicere possunt, dum pluribûs exponitur, quanta hominibus in patriam, parentes, aut benefactores suos ingratis infamia sit timenda, & tanta quidem, ut præ ea vir probus mortem maluerit eligere. Itaque hæc Tragœdia & apta esse potest ad noxias affectiones, ingrati nempe animi vitium, etiam per commiserationem, & timorem purgandas: aut certè ad generosam pietatem in patriam, parentes, concives etiam malè de nobis meritos, excitandam, qui quidem scopus est scenæ præsentis.

Tertiam ab Aristotele oppositam rationem quod attinet; succumbit quidem vir probus Themistocles, sed fato spontaneo, & in hominum oculis glorioso: neque ipse se miserum, sed beatum reputat, quòd sua morte patriæ pacem, sibi, suisque, immortalem famam pepererit. Unde in hac scena vir-

virtus non ita infelix proponitur, ut absterrere, sed gloriosè coronata, ut possit allicere, nihil itaque habet *scelesti*. Addo his, quæ Cornelius observat, nempe Aristotelem Græcum Philosophum, dum Heroëm omnino probum Theatro excludit, non tam ex animi sui sensu scripsisse, quàm Græcorum genio se accommodâsse, hi enim cùm Monarchiam omnem aversarentur, etiam in Theatris reges, & principes videre non sustinebant, nisi vitiis saltem aliquibus infectos, ut conceptus Monarchiæ horror in suorum animis nutriretur.

Character Themistoclis. Themistoclem propono, ut virum fortem, & amantem patriæ: non tamen ut Romanum Catonem, & Stoicum. Sentit Græcus, & acerbè sentit illatas sibi à Græcia injurias, & æmulorum invidiam, suo exilio necdum satiatam. Fervidus viri militaris, & ambitiosi animus, recentibus probris denuo irritatus non potest non exardescere ad vindictam, occasione præsertim tam opportuna sibi non oblata modò, sed & obtrusa. Gravi itaque affectuum contrariorum agitatione concutitur, non tamen dejicitur Themistoclis virtus. Atque hæc præcellens virtus in indole malorum sensu non carente, & vehementibus animi affectionibus obnoxia, quas domat, quin enervet, quas vim suam omnem patitur exerere, ut de illis gloriosiùs triumphet, hæc, inquam, præcellens virtus videtur Cornelio habere aliquid & tenerius, & sublimius & ad percellendum aptius, quàm mediocris illa Aristotelici herois probitas, aut Stoica Catonis Austeritas.

Character Cleophanti, & Asiettæ. Themistocli filium jungo Cleophantum in Græcia natum, & Asiettam, (alii Asiam vocant) filiarum minimam, quam in Persia genitam pono. Etsi enim non conveniat inter Authores, quo tempore in Persiam Themistocles venerit, dum alii ad Artaxerxem, alii jam ad Xerxem eundem accessis-

cessisse scribunt; tamen, Plutarcho teste, certum est, Themistoclem pluribus annis in Persia hæsisse, & ibidem etiam conjugem duxisse, priusquam ab Artaxerxe Persico exercitui, in Græciam ducendo, præficeretur. Unde non puto esse contra verisimile, si filiam ei ex Persica conjuge susceptam tribuo, quam fortè & ideò Asiam vocavit, quia à Patre, in Asia tum exulante, genitam. Duobus hisce Themistoclis liberis diversa sunt animi sensa, quia diversa utrique patria. Cleophantus Græcus imminentia Græciæ mala meritò deprecatur, & patrem simul, ac patriam incolumem vellet, quæ pia quidem vota, cùm tamen non videantur simul compleri posse, in magnas juvenem angustias conjiciunt. Asietta Persa Persiæ patriæ suæ partes tuetur, & Græciam eò majori odio, quò majori amore patrem prosequitur, à Græcia tam indignè habitum; & quamvis à Themistocle graviter reprehensa, ne Græciam patris sui patriam læderet, vim sibi inferat; imperare tamen animo non potest, ut illam amet, prout explicat in Actûs 3. Scena 4.

Ipsam Græciam
Amare si non potero, saltem desinam
Odisse te jubente.

Atque hæc diversa liberorum charissimorum studia etiam patrem in diversa distrahunt, & quidem, ùt credo, longè potentiùs, quàm si geminos alios, Græcum, & Persam, consiliarios eidem adjunxissem.

Character Legatorum Græcorum. Legatorum etiam Græcorum character non est idem, etsi eandem uterque causam urgeat. Acriùs in Themistoclem Agathocles Spartanus insurgit: mitiori in illum animo est Lysistrathus Atheniensis. Uterque nempe agit ex mente suæ Reipublicæ: Spartani enim, ùt Historia narrat, cùm, ob proditionem Græciæ à Pausania, Spartano Duce,

ce, tentatam, magna apud reliquos Græcos invidià, & probrô etiam oneratos se viderent, magna hujus invidiæ, & probri parte se levandos credebant, si Themistoclem, Atheniensium Ducem nihil Spartano Pausania meliorem toti Græciæ demonstrarent.

Artaxerxem Historici omnes cum Plutarcho, tum facilitate, humanitatéque, tum maximè animi magnitudine insignem celebrant. Et talem quidem se exhibet in Themistoclem, non verò in Legatos Græcorum, quos non durioribus modò verbis excipit, sed & custodiæ tradi mandat. Unde videri possit à suo Charaêtere recedere: Sed nempe etiam humanissimi principes graviter irritari possunt, & irritati Majestatis suæ plùs, quàm humanitatis aliquamdiu meminisse, facilè tamen denuo placandi. Et talis est Charaêter Artaxerxis, qui pluribus ex causis in Græcos meritò concitatus in scena tamen ultima ad solitam humanitatem redit, & æquioribus jam Græcorum votis summa facilitate annuit. *Character Artaxerxis.*

De unitate actionis, cùm superiùs in Stilicone plura de hac dixerim, hic nihil addo. Unitatem temporis quod attinet, fateor, multa & gravia in unum diem congesta: uti sunt Legatorum Græcorum adventus, bellum mox iisdem non indictum modò, sed & Dux novus designatus, & eadem adhuc die cum Classe Persica in Græciam movere jussus &c. Verùm hic observari velim, quòd hæc tam gravia consilia non una dies pepererit, sed dudum jam occultè agitata, una dies manifestaverit. Diu jam belli fulmen in Græcos cudebat Artaxerxis ira, recentibus injuriis, dum Græci rebelli Ægypto suppetias contra Persas tulissent, accensa: dudum belli hujus ducem Themistoclem rex Persicus animo designârat, & hunc in finem tot beneficiis sibi adstrinxerat: dudum classem, & exercitum paraverat: ut hac demum

 die

die fulmen erumperet, ipse Græcorum adventus, & nova, eâque iniqua nimis petitio maturavit. Nec melior occasio expectari à rege poterat ad Themistoclem in patriam, & Persas in Græciam concitandos, quàm nuntiata Astyagis captivitas, & indigna Græcorum vota, qui caput innocentis, & hospitis sibi ad supplicium tradi postulabant.

Quæ omnia Artaxerxes ipse exponit in Actûs 2. Scen. 6. & Act. 5. Scen. 2. & 8.



PRO-

PROTASIUS
REX ARYMÆ
TRAGOEDIA

ARGUMENTUM.

PRotasius Arymæ rex, Christianæ in Japonia Ecclesiæ defensor egregius, & propagator zelosissimus turpiter tandem non quidem à fide, sed Christiana tamen virtute cœpit deficere, postquam perversis consiliariis aures cœpit præbere. Utebatur præcipuè o-era, & consilio Pauli Daifaccii, Christiani quidem, sed pseudopolitici, in aula Imperatoria præpotentis. Hoc suggerente non dubitavit parens Christianus, Christianum Filium Michaëlem eò impellere; ut repudiata priore legitima, & Christiana conjuge (Martham vocat Trigautius) novas cum Fiuma Imperatoris Daifusamæ pronepte nuptias contraheret, ut scilicet hac nova affinitate Domûs suæ potentiam & fulciret, & augeret; Jámque diploma Imperatorium, sed à Daifaccio duntaxat confictum, acceperat, quo Figuenle regnum Protasianæ Domui addicebatur. Dilatum tantæ promissionis effectum ut Protasius urgeret, filium Michaëlem cum nova nupta ad Daifusanæ aulam Surun-

Surungam præmittit, ipse propediem secuturus; verùm ab his ipsis ductum regnandi avidis perfidè deceptus per easdem malas artes, quibùs nova regna quæsierat, proprium ipse regnum, & vitam amisit. Cùm enim in itinere Surungam versus Fuchsimi subsisteret, Daifusamæ jussu detentus, exilio, & demum etiam capite mulctatus est, Felix tamen, quòd ictus sapuit, & feralem sententiam, ipsa Parasceves die sibi indictam, eô animô excepit, qui Protasium verè Heroëm Christianum probavit.

Trigautius de triumphis Japonicis Lib. 1, c. 5. & 10. & Cornelius Hazart Hist. Eccles. Japon. parte 5. c. 13.

Scena Figitur Fuchsimi, in ædibus Quiboi, die Parasceves.

PER,

PERSONÆ.

Protaſius *Rex Arymæ.*
Juſta *Protaſii conjux.*
Franciſcus | Matthæus } Filii Protaſii natu minores.
Quibous *Juſtæ frater.*
Daifaccius *Daifuſamæ ab epiſtolis arcanis.*
Sacajus *Marthæ repudiatæ frater,*
Xogura *Gubernator Fuchſimi.*
Jocondonus | Cianquedonus } Aulici Protaſii.
Fiungus *familiaris Daifaccii.*
Comitatus &c.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Quibous. Jocondonus.

QUib. Dic, quæſo, Jocondone, quid Protaſium
Offendit his in ædibus? num Fuchſimi
Quis auſus eſt læſiſſe regium hoſpitem?
Jocond. Quiboe crede, in ædibus tuis nihil
Regi meo diſplicuit. Immo plurimùm
Adeò hoſpitales laudat affinis Lares,
Et præſtita tot obſequia. Quin & Fuchſimum
Sibi placere præ Aryma haud ſemel palam
Teſtatus eſt. *Quib.* Cur ergo tam ſubitum modò
Hinc urget abitum? Cur iter tali die
Indicit, ubi Fideliùm devotio
Potiùs ſacra quiete morientis Deì
Triſtem recolere, & colere memoriam ſolet?
Exempla certè Eccleſia à Protaſio
Alia hodie exſpectârat: agminis pii,
Quo Chriſtianus populus ad ſacra Domini
Sepulchra noctu confluet, regem ducem
Speraverant videre quotquot Fuchſimi
Pauci quidem, ſed fervidi, Chriſtum colunt.

Traxiſ-

Traxiſſet hæc præſentia aulæ regiæ,
Tantique regis civium omnes ordines
Ad Chriſtiana templa, nec ſplendor levis
Legi ſacræ acceſſiſſet inter Japones,
Si purpuram Protaſii inſperſam pio
Humilique cinere, & pedibus adſtratam
crucis
Spectâſſet hodie Fuchſimum. *Jocond.* Hoc
ipſum quidem
Jam rex meus decreverat, dare publicum
Devotionis ſpecimen, & diem hanc ſacra
In æde conſecrare morienti Deo:
Sed jam recentes literæ, ad regem datæ,
Moras negant, & proſequi viam jubent.
Tota Aula Surungana præſentem cupit
Protaſium. *Quib.* Quis literas has? *Jocond.*
Filius,
Nurúſque regis. *Quib.* Regiam nurum vo-
cas
Adulterantem pellicem?

SCENA SECUNDA.

Protaſius, *Quibous*. *Jocondonus*.

Protas. - - Affinis, mihi
Tibique gratulare. Complevit polus
Diuturna vota: Filii conjux nova
Novam voronam peperit, & ſceptro novo
Protaſianam denique exornat domum
Affinis Imperator. Age, lætus lege,
Quas

Quas ipſamet Fiuma, quas Michael dedit
Ad nos recentes. - - Quid ſtupes? - Quid reſtitas?
Quib. Ignoſce rex - - *Protas.* Quid ergo? Quis ſubitus dolor?
Recede Jocondone. Jam fare, obſecro,
Quid mœſta ſibi ſuſpiria? Quis animum dolor
Occultus agitat? *Quib.* Fateor, occultus dolor
Diuque corde preſſus animum lancinat.
Condoleo, rex. *Protas.* Cui condoles? *Quib.* Tibi. *Prot.* Mihi?
Quib. Sortem tuam deploro miſerandam nimis.
Protas. Sortem meam? beatior nunquam mihi
Fortuna riſit, quàm modò, poſtquam domus
Protaſiana fœdere adſtricta intimo
Summo Monarchæ Japonum, cujus nova
Affinitate fultus ad nova evocor
Sceptra, & coronas. *Quib.* At nova hæc quantô tibi
Pretiô corona ſtabit! immo jam ſtetit.
Ignoſce rex; erumpit, haud ultrà tegi,
Premique patiens, jam diu preſſus dolor.
Tandem loquendum, quod loqui dudum ſalus
Et famá tua jubebat, & diutiùs
Silere conſcientia, & Deus vetat.

Rex

Rex nempe tantus, columen hucusque unicum,
Et Christianæ Legis, & gregis unicus
Defensor inter Japones, qui transfugas
Tot inter alios principes solus stetit;
Solus Tyranni publica edicta, & minas
In Christianos ausus est tam fortiter
Sprevisse; qui delubra centum Fottoquis,
Frendente frustra Bonzio, æquavit solo,
Et veriori templa sacravit Deo;
Qui sumptibus plùs regiis Legis sacræ
Interpretes, tot exules oris, suo
Regno recepit, aluit, & contra impias
Furias Tyranni solus infracto impigrè
Defendit animo; quique non sceptrum modò,
Sed & crucis vexilla regali manu
Palàm efferens, Apostolus Legis sacræ
Sua ipse regna, & subditos omnes Deo
Vero subegit; qui meum pectus quoque
Olim profanis perditè addictum Diis,
Suada potenti emolliit, & ab impiis
Aris ad aras transtulit veri Dei.
Rex tantus, inquam, jam ipsus ejurat fidem?
Legi, Deóque perfidus Christum abnegat?
Quæque ipsus extirpaverat, sacra impia,
Palàm resumens Fottoquem, & Chamim colit?
Protas. Quis ista de me spargere? aut quis invidus
Vel suspicari audebit hoc de me nefas?

Egóne

Egóne Christum deseram, & legem sacram?
Ego profanum Fottoquem, aut Chamim colam?
Quib. Ignosce rex; hæc publica est vox Japonum,
Protasium deserere Christiadum sacra.
Hic luctus est fidelium, hic populi timor,
Hic denique meus jamdiu occultus dolor.
Protas. Et ista de me credere affinis potest?
Unde hic pudendus sensus in animum tuum?
Quib. Si sensus hic pudendus est, tibi imputa,
Tuísque factis. Ipse famæ tam improbæ
Ansam dedisti -- *Protas.* Sed quis huc infert gradum?
Quib. Sacajus est, ni fallor. *Protas.* Unde hunc in locum?

SCENA TERTIA.

Protasius. Quibous. Sacajus.

Sacajus. Ignosce rex, si filius vultum patris
Non postulatâ copiâ fandi, subit:
Nam te patrem vocare sueveram hactenus,
Tu filii me nomine haud tantùm semel
Dignatus es. -- sed video, nescis filium,
Cujus sororem filius tuus negat
Porrò suam esse conjugem. Interim tamen

Licebit aliqua nomine parentis mei
Proponere: rogat ille, quod tandem ſcelus
Quod crimen atrox Martha filii tuî
Superba nuper uxor, aſt exul modò,
Patrârit? Anne adultera abrupit fidem?
Thoríque jura ſancta violare improbè
Eſt auſa? *Protas.* Facis injuriam graviſſimam
Tuæ ſororis moribus, tantum nefas
Vel ſuſpicando. *Sacajus.* Pande rex vera, obſecro
Meó, & parentis nomine, & teſtor Deos,
Nec vel ſororis ſanguini parcet manus
Et enſis iſte, ſi quid in te, vel tuos
Eſt machinata Martha. *Protas.* Pone hos impetus.
Atteſtor ipſe, quem colo, cœli Deum:
Semper fidelis, innocens, caſta, & pia
Mihique chara plurimùm ſoror tua
In Arymæ aula vixit. *Sacajus.* Et talis tamen
Tam turpiter depellitur ab aula, & thoro?
Et tam probroſus repudii liber datur
Caſtæ, piæque conjugi? *Protas.* Quod filius
Fecit, parenti ne imputa. *Sacaj.* Num filius
Hæc patre fecit inſcio? Immo quis, niſi
Parens, adegit filium invitum diu,
Ut tam probroſè conjugem, caſtam, piam,

Tan-

Tantæque ſtirpis fœminam, atque in Arymæ
Totius oculis fœdere jugali ſibi
Sanctè ligatam pelleret domo, & thoro?
Novámque demum pellicem ſibi jungeret?
Protas. Magni Monarchæ Japonum neptem decent
Honeſtiora nomina. Loquere cautius.
Sacajus. Sit vel Deorum neptis, eſt pellex tamen,
Quæcunque vivâ conjuge priore occupat
Thorum mariti. Aut forſitan quid amplius
Lex Chriſtiana, quam tamen Legi Patrum
Præfertis, & ſanctiſſimam eſſe dicitis,
Permittit? Anné hæc rumpere obſtrictam fidem,
Thorósque permutare, dum lubet, docet?
Ideóne demum Martha Japonum Diis
Renuntiare debuit, & ad exteras
Tranſire leges, antequam nati tui
Manum, thorúmque caperet, ut ſic in nova
Hac lege rurſum dejici poſſit thoro?
Hæc illa demum, qua ſuperbis, tam ſacra
Religio? quæ nos Ethnici, quos ſpernitis
Tanquam profanos, facere pertimeſcimus,
Hæc Chriſtiani nominis tantus facit
Zelator? hæc ut faciat & natus, jubet?
Protas. Ferveſcis; at memento, te regi loqui

Sacajus. Regi loquor, ſed non meo; nec in
ſuo
Regno: nec Imperator affinis novus,
Quo gloriaris, territat. Seias, velim,
Meo, & parentis nomine, hæc probra domui
Stirpique noſtræ illata poſt breves moras
Sic vindicanda, ut Japonum horreſcant
plagæ.
Nec te Deorum dexteræ ultrici nova
Eripere pellex poterit, aut ſocer novus.

SCENA QUARTA.

Protaſius. Quibous.

Protas. Ignoſco juveni, quem ſororius dolor
Irritat. *Quib.* Aſt hic ipſe complures dolor
Affligit: ipſæ hæ nuptiæ, & thori Ethnici,
Ad quos adegit filium invitum parens
Pulſa priore conjuge, hi, inquam, Ethnici
Thori tuam, rex, turpiter famam inquinant.
Hinc illa de te opinio; hinc fama improba,
Et vox per oras Japonum ſparſa undique,
Protaſium deſerere Chriſtiadum ſacra,
Etquò Monarcham Japonum ſibi arctius
Adſtringat, aras Fottoqui, & Chami novas

Para-

Parare, quas ad Ethnicæ sponsæ preces
Natus, parénsque supplici colat genu.
Protas. Spargat, quod ambit, fama semper invida,
Brevì patebunt alia. Perlege interim
Quas obtuli, recenter ex aula datas.
Quin plura pandam arcana: perlegas quoque
Apographum Diplomatis, quod ad domûs
Protasianæ vota jam dudum quidem
Ipse Imperator condidit; fida interim
Descripsit, & præmisit ad nos huc manu
Daifaccius. *Quib.* Daifaccius? *Protas.* Hic ipsus quoque
Christi veretur dogmata: hujus dum sequor
Consilia, noli credere adversùm sacram
Legem parari quidpiam. Daifaccio
Probante, quin suadente, quæcunque hactenus
Sunt facta per me, facta sunt Ecclesiæ
Et Christianæ Legis augendo bono.
Quib. Respiro rex, & deprecor - - *Protas.* Zelum tuum
Pro Christiana Lege, pro fama mea
Laudo, sed, ùt jam dixeram, oblatas lege.
Tunc judicare poteris, & meliùs quidem;
An justa sit suspicio, vel vox Japonum,
Protasium deserere Christiadum sacra.

 ACTUS

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Daifaccius. Jocondonus. Fiungus.

Jocond. Dixi, ter opportunus, & lætiſſimus
Regi meo Daifaccii adventus. Veni,
Accede. *Daif.* Fandi copiam pro me priùs
Rogato regem. *Jocond.* Non opus: Daifaccio
Quocunque veniat tempore, ad Protaſium
Pronus pateſcit aditus: ùt tamen cupis,
Regem priùs monebo. *Daif.* Si minùs hodie
Rex forſitan vacabit, alio tempore,
Et craſtina die adero. *Jocond.* Craſtina die
Non ampliùs Protaſium his in ædibus
Reperire dabitur: hanc adhuc ſub veſperam
Diſcedet hinc. *Daif.* An repetet Arymæ Lares?
Jocond. Non Arymæ, aſt Surunga nos vocat: avidus
Expectat Imperator affinem ſuum.

SCENA

SCENA SECUNDA.

Daifaccius. Fiungus.

Daifac. Expectat Imperator affinem suum?
Fiunge! *Fiung.* Quid? *Daif.* Sum proditus! sum perditus;
Noſtri Monarchæ regiam Protaſius
Subibit. Heu! ſum proditus! ſum perditus!
Fiung. Cur iſta? num Protaſium times? tamen
Nemo melior Patronus, & fautor tibi.
Quàm prodigus rex Arymæ in Daifaccium
Hucusque ſemper fuerit -- *Daif.* Hucusque fuerat,
Fateor, Patronus, at modò -- *Fiung.* Modò nova
Sperare lucra poteris. Aulam ſi ſubit
Protaſius, negotium haud ſanè leve
Tractabit, ad quod plurimùm Daifaccii
Induſtria indigebit, & plus, quàm hactenus,
Auro ſtudebit emere favores tuos,
Sat gnarus, & jam proprio doctus malo,
Aures Monarchæ Japonum ſoli tibi
Patere, plus quàm regibus. Calamus tuus
Quid poſſit -- *Daif.* Utinam calamus hic meus nihil
Potuiſſet unquam ſcribere! Infelix heu

Diploma ! *Fiung.* Quid diploma ? *Daif.* Quid si hæc audiat,
Videátque Daifusama? *Fiung.* Quid verò audiet?
Daif. Protasius si exhibeat ? & -- *Fiung.* Quid denique ?
Daif. Et exhibebit utique, forsan itineris
Hæc sola causa -- Proditus sum ! & perditus !
Fiung. Loquare, quæso, clariùs, satis utique
Scis me fidelem. *Daif.* Amice, dixi, si Arymæ
Cum rege Daifusama vel tantúm semel
Loquatur, actum est: perditum hoc caput. *Fiung.* Modò
Arcana mentis panderes, quæ te premunt,
Facilem medelam forte reperirem malo.
Daif. Mali medela hæc unica, ut Protasium
Ab itinere retrahamus, & 'ne aulam petat,
Quacunque demum fraude moveamus. *Fiung.* Potes
Ipse omnia in Protasium : tua sequitur
Semper lubens consilia. *Daif.* Fateor: hactenus
Secutus est, sed timeo -- Tentandum támen.
At Ecce! Rex. Secede, plura tibi redux,

SCENA

SCENA TERTIA

Protasius. Daifacciu s Quibous.

Daifac. Adoro plantas regias. *Protas.* Dextram cape
Amice. Quàm te providus mihi polus
In tempore dedit obvium! an ab aula recèns
Huc advenis? *Daif.* Jam mensibus plus quàm tribus
A Regia me abesse grave negotium
Coëgit. At fortuna ter fausta hac die
Me Fuchsimum deduxit, & regem Arymæ
Spem præter omnem colere præsentem dedit.
Protas. Mihi pariter Daifaccii optatam diu
Præsentiam congratulor. Cernis virum
Quiboe, qui Protasii fulcit Domum:
Cujus secutus consilia sceptro Arymæ
Figense sceptrum jungo. Vidisti datum
Diploma? Quid nunc judicas? adhuc doles?
Quib. Nova regna gratularer & tibi, & mihi,
Totique Domui, si sine gravi crimine
Obtenta, vel servanda possem credere.
Daifac. Quo crimine ergo credis obtentum thronum?
Quib. Sat publico: dum filium cogit parens

Pulsa priore conjuge novam ducere.
Protas. An ergo propter gemina regna fœminam
Mutare crimen dicis? an mulier tibi
Sceptro magis pretiosa? *Quib.* Mille fœminæ
Nec unius utique pretium sceptri valent;
Postquam tamen conjugii fœdus sacrum
Virum alligavit fœminæ, thori fidem
Nec pro coronis mille violari decet.
Daif. Scrupulosus es, quod video, nec nosti satis
Artem regendi, vel quid exigat *ſtatûs*
Ratio, salúsque publica, & propriæ Domûs
Stirpisque semper maximè augendum decus.
Quibous *. Artem regendi discere mihi si placet,
Non te Magistro indigeo: nec ratio statûs,
Nec publica salus, nec Domûs propriæ decus
Sunt promovenda crimine, & Fidei sacræ
Jacturâ. *Protas.* Adhucdum pertinax Fidei sacræ
Times periclum? criminis tanti putas
Regem capacem? *Quib.* Crimen admissum semel
Nova mox sequuntur crimina. Hinc, rex, horreo.

* *Ad Daifacum*

Daifac.

Daifac. Etiam ego crimen horreo, at crimen nego
Novis inesse nuptiis. *Quib.* Crimen negas
Inesse? Christianus es: nunquid sacra
Quam profitemur Religio vetat thorum
Mutare vivâ conjuge? *Daif.* Nisi publicum
Majúsque regni commodum aliud exigat.
Lex nulla, nulla regula obstringit sine
Exceptione. *Quib.* Lex tamen thori caret
Exceptione. *Daif.* In plebe vili, transeat;
Sed alia regum jura, privilegia
Sunt alia. *Quib.* Quænam? *Protas.* Fuerit ergo, fatebimur,
Fuerit nefas quodcunque commissum hactenus;
Malum omne compensabo majori bono.
Nova regna nobis addita per has nuptias
Si subdo Christi legibus, si ab impiis
Aris retracta tot animarum millia
Ecclesiæ conjungo, peccatum leve,
Et culpa felix dicier utique poterit
Futura mox origo majoris boni.
Quib. At scandalum, quod interim-- *Prot.* Si quod datum
Plebi pusillæ scandalum, zelus meus
Delebit, & resarciet cum fœnore
Ecclesiæ, & Fidelium applausu novo:
Dum regio Tucumana, dum regnum potens
Figense cum Protasii signis simul
Vexilla Christi surgere videbit brevi.

Daif.

Daif. Ita eſt: & hinc, ut dixeram, nullum puto
Omnino crimen filii thoris novis
Ineſſe. Quin Religio debebit tuæ
Prudentiæ, rex, plurimùm, dum Japonum
Summum Monarcham fœdere obſtringis tibi
Tuámque ſtirpem fulcis, etiam Eccleſiam
Firmas in oris Japonum, & contra minas
Tot perſequentûm fœdera opponis nova,
Quin & Tyranni dexteræ fulmen ferox
In Chriſtiana capita jam ſtrictum, eripis.
Protas. ad Quib. Vides modò, ùt Protaſius Fidem abjicit?
Ut quæ ipſus extirpaverat, ſacra impia
Palàm reſumens Fottoquem, & Chamim colit?
Fulcita per me Eccleſia, & populis novis
Adaucta, tótque in urbibus noſtra manu
Plantanda mox vexilla ſacratæ Crucis,
Hic luctus eſt fidelium? hic populi timor?
Hic denique tuus tamdiu occultus dolor?
Quib. Hic zelus, ô rex, erigit animos mihi.
In Chriſtiana Lege me doctus magis
Uterque veſtrûm noverit utique meliùs,
Quid fas, nefáſve. Cedo, non ultrà moras
Objicio cœptis. Si tamen quidquam licet

Roga-

Rogare, rex ſuſpende ſaltam in craſtinum
Iter ſtatutum: Veſperam hanc dona Deo,
Et Fuchſimenſi Eccleſiæ. Da publicum
Hac nocte Fidei ſpecimen, & palàm doce,
Quam falſa ſit vox Japonum ſparſa hactenus,
Protaſium deſerere Chriſtiadum Sacra.
Protas. Sit ergo: dabimus veſperam hanc tandem Deo,
Et Chriſtianæ Eccleſiæ votis piis.
Quin ipſe præferam agmini pio Crucem,
Regem ſequetur aula pullatis togis,
Atque morienti compati diſcet Deo.
Sed craſtinus dum ſurget è mari dies,
Parata cuncta ſint ad iter. *Quib.* Ut rex jubes.

SCENA QUARTA.

Protaſius. Daiſaccius.

Protas. Daiſaccius ſequetur itineris comes:
Aulam ſimul petamus. In negotio,
Quod tracto, nobis plurimùm fide tua
Induſtriaque ſervies Cauſam dabo:
Diploma nempe, cujus ad noſtras manus
Apographum ipſe miſeras, diu nimis
Sufflaminatum, neſcio cujus dolo,

Tan-

Tandem decet firmare. Non nisi meam
Præsentiam Imperator, & votis favens
Exspectat omnis aula. *Daif.* Parcas, obsecro,
Rex magne tot molestiis, & sumptibus
Itineris. Ego mox ipse Surungam redux
Hoc promovebo strenuè negotium
Minore sumptu. *Protas.* Sumptibus non parcitur
Ubi de coronis agitur, & suaves viæ
Molestiæ, dum ducit ad thronum via.
Fixum est, adibo regiam: renuit moras
Negotium. *Daif.* Sex, obsecro, adjuro, Cave.
Aulam subire hoc tempore haud tutum satis
Protasio. *Protas.* Quis subitus invadit timor
Daifaccium? *Daifac.* Periculo timeo tuo:
Hinc hortor, oro, adjuro: Surungam cave
Subire. *Protas.* Quare? *Daif.* Canzviendonum time
Figensis hic Dynastes quàm fiat potens
Feróxque, nosti. *Protas.* Sit potens, & sit ferox
Quiscunque, quid Protasius timeat sibi?
Daif. Figensis hic Dynasta si persenserit,
Sibi hactenus possessa Fiquoi oppida
A te occupanda, quantus exurget furor
In pectore hominis efferi? nec Japonum
Sum-

Summum Monarcham veritus in pectus
tuum
Ensem cruentum stringere audebit palàm.
Cave ergo rex, nec proprio à regno procul
Hominis furori regium expones caput.
Protas. Fidelitatem laudo Daifacci tuam;
Sed nempe ab Aula mensibus jam absens
tribus
Quod interim Fiuma, quod Michael
meus
Hac ipsa in Aula effecit, ignoras adhuc.
Daifacc. Michael in aula regia? *Prot.* Cum
conjuge
Præmissus à me, ut sterneret viam patri.
Fiuma neptis impetrat ab avo omnia.
Legam recentes literas ad me datas:
Legit. Multùm aula Surungana se votis tuis,
Parens verende, opposuit; evicit tamen
Fiuma causam; quando, quod dudum tibi
Daifaccius submiserat, Diplomatis
Jussu Monarchæ conditi exemplar palam
Exhibuit aulæ. Exinde res nostræ fluunt
Cursu beato: Sceptra tanto tempore,
Tanto ambitu quæsita, jam Domui tuæ
Addixit Imperator. Unum te modò
Verende rex, & genitor, aula regia
Et Imperator ipse præsentem cupit.
Digneris ergo prosequi cœptum jam iter,
Cursûque festinante Surungam petas.

Ita

Ita obsecrat cum filio supplex nurus.
Vides, moras negotium hoc nullas pati,
Præsentiámque propriam Protasii
Desiderari ab omnibus, ad iter itaque
Nos præparemus, crastinâ abeamus.. simul.

SCENA QUINTA.

Daifaccius solus.

Daif. Ubi sum? Vigilóne, an somnio? Diplomatis
Exemplar, à Daifaccio ad Protasium
Missum Fiuma detulit ad aulam? Potes
Fortuna quidquam tristius meum in caput
Excogitare?

SCENA SEXTA.

Daifaccius. Fiungus.

Fiungus. - - - Num Protasium sua
In vota traxit prosperè Daifaccius?
Num rex iter suspendit, aut quo res loco?
Daifac. Pejore nunquam stare potuissent loco.
Dolus meus patebit: immo, jam patet.
Diploma!

Diploma! Vah! Diploma malefaûsto nimis
Excogitatum capite, malefausta nimis
Manu exaratum! Amice - - *Fiung.* Cur Diplomati
Identidem ingemiscis? *Daifac.* Haud ultra juvat
Tegere, quod orbis totus agnoscet brevi
Meo pudore, & capitis, & vitæ meæ
Jactura inevitabili. Regi Arymæ
Diploma, tamquam ex mente, jussúque ipsius
Summi Monarchæ conditum, insanus nimis
Submittere ausus sceptra promisi nova
Figensis oræ, de quibus tamen omnibus
Nil Imperator ipse, nisi per somnium
Fors, cogitârat. *Fiung.* Ergo quod submiseras
Diploma manui regiæ, fictum fuit?
Daifacc. Fictum hoc cerebro. *Fiung.* Fateor, est audax dolus.
Advertit hunc Protasius? *Daif.* Necdum quidem;
Sed Aula Surungana jam novit, cui
Per filium Protasii facta est palàm
Fraus nostra, fraus pudenda, fraus crassissima,
Nulla arte jam neganda. *Fiung.* Cur verò, obsecro,
Daifaccii Politica tam crassum dolum?

Daif. Quid nempe non perſuadet infelix fames
Aurique ſacra cupido! num ſolus, putas,
Ego ſum in aulis, qui - - *Fiung.* Sed an certò patet
Fraus hæc Monarchæ? *Daif.* Sic recenter ad patrem
Michael reſcripſit ipſus, exemplar mei
Diplomatis, nam, fateor, eſt tantùm meum,
A nepte nuper traditum in manus Avi.
Fiung. Hæc literæ Michaelis ad Protaſium?
Daif. Quas ipſe mihi prælegit. Aſt illud tamen
Non capio, quod ſubjungit in iisdem datis,
Cuncta approbata. *Fiung.* Literis dolus ſubeſt,
Mihi crede, non eſt filius amicus patri.
Et ſi fidelis filius foret, tamen
Alia nurus molitur. *Daif.* Et quænam? *Fiung.* Veni,
Quid ſuſpicer, ſolatio pandam tuo.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Protaſius. Jocondonus.

PRot. Quid nuntias? Regina Fuchſimum ſubit?

Jocond.

Jocond. Unâque gemini principes, nati tui,
Franciscus, & Mathæus, exigua rate,
Paucisque cum comitibus advecti. Horridus
In ore squallor, nescio, quid indicat.
Et Ecce! subeunt limina.

SCENA SECUNDA.

Protasius. Justa. Franciscus. Mathæus.

Justa. - - - Ah Conjux! *Franc* Pater!
Protas. Quid hoc? Quid iste adventus? aut quis hic dolor?
Regina loquere. *Justa.* Parce vano nomini;
Regina non sum, nécque rex es amplius
O mi marite! *Math.* nécque nos jam principes
Sed pervagi, sed exules sumus, pater.
Sceptrum Arymæ; regnúmque jam alius occupat.
Protas. Quid? alius, inquis, Arymæ sceptrum occupat?
An hostis ergo absentia nostra improbè
Abusus armis regiam invasit ferox?
An fors rebellis populus in regem suum
Insurgere ausus? *Justa.* Eloqui dolor vetat;
Loquar tamen, sed præpara mentem tuam
Ad audienda gesta, quæ superant fidem.
Dum nempe lætos Fuchsimi trahis dies,
Ego interim relicta cum natis domi

Alta fruebar pace, pronos subditos
Nutus ad omnes semper experta, & nihil
Periculi vel suspicata, regia
In urbe præstolabar optatum diu
De rege reduce nuntium; cùm tertia
Abhinc nesanda nocte non visæ priùs
Adsunt, & urbis mœnia armatæ undique
Cingunt cohortes militum: currus, equi,
Faces, & enses Arymam totam replent
Terrore subito: trepida & ego, nec mœnibus
Confidere ausa fugio conscensa rate,
Et gemina mecum pignora hæc solùm trahens
Ægrè Tyranni, heu qualis! evasi manus.
Protas. Et quis Tyrannus ille? quisve ille improbus
Raptor coronæ, & Imperî invasor mei?
Loquamini - - Num fortè vos adhuc latet
Hic hostis? *Math.* Utinam nos lateret!
Franc. Ah Pater!
Math. Infauste nimium genitor! *Prot.* Eloquere. *Math.* Loqui
Indignitas facinoris, & lachrymæ vetant.
Protas. Non lacrimas, sed vindicem poscit manum
Res tanta. Dic regina, quis tandem ferox
Tyrannus ille? *Justa.* Filius tuus. *Prot.* Michael?
Justa. Hic ipse natus degener patri eripit

Sceptrum

Sceptrum, & coronam, pellit hic fratres domo.

Protas. Credisne Jocondone ? *Jocond.* Si non ipſamet
Regina teſtis afforet, non crederem
Tantum ſcelus de filio tanti patris.
Prot. Regina crede, falleris, Michael meus
In Urbe Surungana ab Aryma procul
Remotus has ciere quî turbas queat?
Juſta. An ergo nullus, credis, etiam abſens poteſt
Turbare regna per alios? *Math.* Satis utique
Percepimus rebellium voces, pater,
Queîs caſtra, & urbis compita ſonabant, nimis
Eheu! nefandas. Hæ ſat Authorem notant
Rebellionis. *Prot.* Quæ igitur hæ rebellium
Voces? *Math.* Tremiſcit animus impias nimis
Voces repetere. *Protas.* Jubeo. *Math.* Nempe concitus
Subito furore populus omnis Arymæ
Clamare pleno gutture: Michael novus
Rex Arymæ triumphet, & vivat ſimul
Fiuma nova regina! diſpereant ſenes!
Juſta. Hæc incitante filio populus tuus.
Protas. Regina, dixi, falleris. Michael meus
Eſt innocens; ſed alia fraus factis ſubeſt,

Alius rebelles subditos nobis facit,
Et ut faciliùs concitet, nati mei
Authoritate abutitur. Mos hic frequens
Rebellibus: sed juro, detegam brevî,
Et vindicabo injuriam.

SCENA TERTIA.

Personæ quæ prius, accedit Quibous.

Quibous. - - - - Quid audio?
Num vera, rex? num filius tam perfide
Bellum parenti moveat? *Prot.* Impostor
movet
Hæc bella nobis: filius meus innocens,
Abséńsque procul ab Aryma regnum pa-
tri
Non eripit, sed regna procurat nova.
Legite recenter filii ipsius manu
Perscripta, queîs ad regiam invitat pa-
trem.
Justa. Hæc ipsa fraus est subdola, hic na-
ti dolus:
Ut nempe fallat meliùs incautum patrem,
Ut sceptra rapiat tutiùs, regno procul
Abesse regem voluit, & aliò avocat.
Protas. Sic judicat noverca, sed novit pater
Michaelis animum meliùs. *Math.* O uti-
nam innocens
A scelere frater fuerit! at - *Franc.* Frater,
Patri

Cre-

Credamus, & speremus. *Prot.* Ita, mihi credite,
Et ponite metum. Qui Arymam quatit furor,
Tantùm infimæ plebis tumultus est, dolo
Et fraude concitatus à quo, nescio,
Malè feriato, & invido, qui fili
Indignè abusus nomine has turbas movet
Sed, juro, ferro vindici pœnas dabit.
Ipse Arymam revertor: insanos brevì
Compescet animos regia manus. *Justa.* Arymam
Rex ipse repetes? *Quib.* Siquidem innocens fiet
Michael, & alius forsan impostor dolo
Commôrit in te subditos, nullà magis,
Quàm regià præsentià extingui potest
Rebellionis flamma; sed cautè tamen
Tractanda res. *Justa.* Præmitte rex fidum tibi,
Qui certiora deferat, quando fidem
Negas novercæ. *Jocond.* Magne rex, mihi, obsecro,
Crede hunc laborem. Repeto fines Arymæ,
Et quid struatur fraudis, indago: Feram
Fidelis explorata. *Protas.* Vix moras fero;
Aliquid tamen do conjugis vota. Prior
Præcede geminis navibus ad oram Arymæ,
Tutúmque navi regiæ sternas iter,
Mox te sequemur. Interim conjux malè
Jam suspicari desinas de filio
Michaele, sed compone mentem territam.

Protasius dum tela, dum ferrum potest
Vibrare, nemo sceptra raptabit tibi:
Vel rapta saltem non diu, quisquis siet,
Tenebit. *Justa.* Acquiesco jussis regiis.
Venite nati, supplici prece Superos
In vota patris flectimus. *Franc.* Simu. etiam
Pro fratre supplicamus. *Math.* Hic modò innocens
Sit, nil timemus. *Protas.* Credite, patebit brevì
Michaelis innocentia. *Justa.* Hoc faxit polus!

SCENA QUARTA.

Protasius. Quibous.

Quib. Idem precor; sed interim timeo tamen:
Fiuma regni cupida jam dudum metum
Mihi incutit. *Protas.* Quid? regiam nurum times?
Ipsa hæc Monarchæ Japonum neptis mihi
Nova impetravit sceptra, non vetera rapit.
Quib Quis ergo, credis, alius est ausus tua
Ita concitare regna? *Protas.* Vix dubio locus:
Rebellionem hanc concitat Marthæ dolus.
Dejecta regno fœmina impotens furit,
Turbásque concitando vindictam petit.

Quib.

Quib. Quid fœmina exul possit? *Protas.*
Etsi nil potest,
Tentat tamen. Nil fœminâ insolentius,
Audacius nil. Quando rivalem videt,
Piissima etiam mulier in Furiam migrat.
Nec Martha nostrâ in Aryma potest parùm,
Dilecta dudum civibus, quin sæpius
Jam publicè ausus conqueri populus meus,
Martham innocentem regio expulsam thoro.
Quin & Sacai dicta, quæ nobis priùs
Præsente te, nonne indicant satìs dolos
Suæ sororis? immo totius domûs?
Nonné ipse cominatus est palàm, probrum
Suæ sorori perfidè illatum brevì
Sic vindicandum, ut Japonum horrescant plagæ?
Quid ergo dubitem? fraudis authores patent.
At Ecce! redit huc ipsus impostor. *Quib.*
Preme
Tantisper iram: fortè se prodet magis.

SCENA QUINTA.

Protasius. Quibous. Sacajus,

Saca. Ne crede rex, quod denuo hos subeam
Lares
Ad exprobrandum: non paro manum vindicem,

Nec ulteriùs injurias ſtirpis queror.
Meæ ſorori nuper illatum probrum
Ipſi Dii jam vindicant plùs, quàm ſatis.
Vides modò, quid filio conjux nova
Tanto ambitu quæſita, quid cum Japonum
Summo Monarcha affinitas Protaſio
Demum attulit? *Protas.* Quid filio conjux nova
Tanto ambitu quæſita, quid cum Japonum
Summo Monarcha affinitas Protaſio
Attulerit, hoc Sacajus, & Martha, & parens
Mox ſentient. Impoſtor inſolens nimis!
Ne crede regem plebis inſanæ impetu,
Quem veſtra concitavit aut vis, aut dolus,
Jam territum, victúmque. *Saca.* Quid? dolum objicis
Mihi, meísque? *Protas.* Pergite armis impiis
Turbare regna, & ſubditos, & filio
Meo imputare crimina, à veſtra manu
Patrata: vindicabit hanc factam ſibi
Injuriam ipſe filius meus brevì.
Sacajus ad Quiboum. An totus hodie cœcus affinis tuus?
Necdum videt, quod tota Japonia videt?
Protas. Non cœcus eſt Protaſius: clarùm tuos
Tuæque ſtirpis improbos videt dolos.
Sed non diu lætabitur facto improbo
Frater, Sotócque. Quin, niſi alieno in ſolo
Conſiſterem, jam debitas pœnas mihi
De-

Decesset impudentia hæc, qua proditor
Subire vultus regios audet. *Quib.* Preme
Rex, obsecro, iras. *Saca.* Ira me fors justiùs
Deceret, & - - sed regibus miseris decet
Nos condolere. Perge, crede filio,
Et pellici, calumniásque spargere
In innocentes perge: mox dabit dies,
Quales amicos legerit Protasius,
Qualésque spreverit. Abeo invisus tibi,
Quamvis mereri veneram de te optimè,
Hodierna lux evolvet arcanum, cui
Aures modò præbere te vetat furor:
Præbebis autem postea, at fors seriùs,

SCENA SEXTA.

Protasius. Quibous.

Protas. De me mereri quàm optimè vult scilicet,
Qui regna turbat, subditos qui concitat!
Quib. Nondum patescit, fortè te præceps nimis
Suspicio, rex, exagitat. *Protas.* An dubitas adhuc?
An ergo de Michaele tam tetrum nefas,
Quàm de Sacajo, credere potius potes?
Quib. Utrumque malim credere insontem interim,
Donec patescat certiùs fraudis faber.
Protas. Mihi sat patescit. Filio pariter meo
Fraudes Sacai deferet Daifaccius.

Dai-

Daisaccium vocate. *Quib.* Ne Daisaccio
Rex crede nimiùm. *Protas.* Ergóne suspe-
ctus tibi
Daisaccius? *Quib.* Non judico, sed audio
Tam multa de Daisaccio, ut nollem illius
Fidei nimis me credere. *Protas.* Quid ergo?
obsecro.
Quib. Brevissimè descripsit hunc nuper vi-
rum
Persona non ignobilis: Daisaccius
Est Christianus, inquit, at lingua & manus
Indifferentes omnibus se accommodant.
Protas. Et quomodo hæc? *Quib.* Ab om-
nibus nempe omnia
Acceptat, & promittit omnibus omnia;
At denique ex his omnibus præstat nihil.
Protas. Hæc lingua dixit invida. At credas,
velim,
Meliùs ego Daisaccium novi. Mihi
Certè fidelis semper accepit quidem
Non pauca, sed majora semper præstitit,
Aures Monarchæ possidet Daisaccius;
Per hunc, in aula quidquid effectum vo-
lo,
Fideliter conficitur, & per hunc quoque
Mox deferentur improbæ, quæ nos pre-
munt,
Fraudes Sacai. Literas breves paro
Ad filium, nurúmque. Tu, quæso interim
Solare mœstam conjugem, & natos meos.

ACTUS

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA

Daifaccius. Fiungus.

DAif. Refpiro : cunƈta profperè cedunt adhuc
Daifaccio, dum cunƈta turbantur. Bene
Fiunge divinaveras: natus patrem
Delufit, & quas literas prius dedit,
Manu dolofà fraudibus plenas dedit.
Nil Imperator, fpero, de Diplomate
Noftráque fraude audiverit. Protafius
Ipfe Arymam dum regredi ftatuit, procul
A regia, quod unicè optâram, fugit.
Ego interim folutus ingenti metu
In turbido pifcabor, & ad aulam redux
Mifcebo cunƈta fraudibus novis. Patris
Et filii difcordiæ campum dabunt
Daifaccio latiffimum. *Fiung.* Votis precor
Polum faventem; fed tamen nondum fatìs
Secura cunƈta judico: meliùs adhuc
Quænam aƈta fint, examines. *Daif.* Ponas metum,
Fac, fit parata littoris ad oram ratis,
Quæ nos ad aulam revehat. Interim ultimùm
Protafium revifo, qui me jam diu

Ex-

Exſpectat. *Fiung*. Hic viaticum, nunquid, tibi?
Daiſ. Fac imperata, & perge: particeps eris
Sortis meæ, ſi fidus arcanum tegas.

SCENA SECUNDA.

Protaſius. Daiſaccius.

Protas. Tandem hîc ades? *Daiſ*. Ignoſce rex; nimius dolor
Terrórque me prohibuit acceſſu tuo.
Funeſta nempe nuntia, & tetrum ſcelus
De Filio - - *Protas*. De filio meo ſile.
Impoſtor alius improbos cudit dolos.
Noſtine quisnam? nempe non abeſt procul,
Et jam pateſcit, vindicem fraudis manum
Senſurus. Ipſus utique ſat adhuc es memor
Diplomatis, quod nuper ad nos miſeras?
Putas, Monarcha maximus inultus feret
Circumveniri regiam, & ſuam ſimul
Authoritatem? Neptis, affinis, gener,
Et tota denique Imperatoris Domus
Tam turpiter deluſa, tam læſa improbè
Homuncionis impii audaci dolo;
Nunquid merentur vindices tandem manus?
Expectat has Protaſius adhuc hac die

Ipſe

Ipso à Monarcha Japonum. *Daifacc.* * Heu me! jam patent.
Protas. Aulam igitur Imperantis abruptâ morâ
Amice repetas, & Sacajanæ domûs
Molitiones improbas fidus refer.
Sacajus est, qui fraudibus totam Arymam
Ad arma concitavit. Hæc per te, volo,
Ut Imperator resciat, cujus favor
Dum sceptra per diploma promisit nova,
Priora nobis eripi haud quaquam finet,
Opémque promptam mittet. Et Michael meus,
Cujus abusus nomine impostor movet
Nefanda bella, pariter ulturus suas
Suíque patris injurias, armet manum.
Daifac. Respiro. Promptus jussa, rex, sequor tua,
Aulámque repeto. Sed Sacajanæ domûs
Crimen probare quomodo demum queam?
Protas. Istæ probabunt literæ, quas deferes
Ad filium, nurúmque. * Pauca hæc interim
Habeto pro viatico. *Daifacc.* Non audeo
Regale donum renuere; at testor polum,
Non ulla quærit munera mea in te fides.
Servire tanto principi summus mihi
Honor,

* Tacite

* Bursam auro plenam Daifacio tradit.

Honor, voluptas summa. *Protas.* Sat dudum fidem
Tuam probâsti. Perge nunc pari fide
Negotium conficere commissum tibi.

SCENA TERTIA.

Protasius. Justa. Cianquedonus.

Justa. Adhucné rex incredulus negat ducem
Rebellionis filium? Hunc audi, obsecro.
Protas. Cianquedonus unde? *Cianqued.* Profugus insequor
Regem exulem, quocunque nos fatum trahit.
Protas. Jamné exulem me credis? Insanus furor
Malè concitatæ plebis adeò te replet
Terrore? *Cianqued.* Non me plebis insanæ furor
Terret, sed Author. *Protas.* Noscis Authorem? *Cianq.* Tamen
Sát ipse vidi, & horrui indignum nimis
Spectaculum: Vidi ipse dum armatam trahens
Michael phalangem, & improbo fastu tumens
Mœnia subivit Arymæ, & medio foro

Regale

Regale fceptrum , & purpuram geftans
palàm
Homagium popofcit, & promptam fidem
Jurare cives territos regi novo
Coëgit. *Protas.* Ipfe vifus eft Michael tibi ?
Et vifus Arymæ ? Et gerens fceptrum palàm ?
Cianqued. Simùlque lateri conjugis adhærens nova
Conjux Fiuma , pariter impôftam gerens
Capiti coronam regiam , & propriis Avi
Cohortibus ftipata- *Protas.* Quid ; propriis Avi
Cohortibus ftipata ? *Cianqued.* Dominatur foro ;
Et Aulæ, & ipfi conjugi. *Protas* Propriis Avi
Cohortibus ftipata ? *Cianqued.* Cujus nomine
Tibi abrogata fceptra jam Michael tenet
Protas. Mihi abrogata fceptra? *Cianqued.* Portis Arymæ
Affixa pendent publica edicta, ipfius
Summi Monarchæ Japonum figno , & manu
Firmata, queîs jubentur omnes fubditi
Locô parentis filio, ut regi novo
Parere. Michael , credito , & conjux nova
Michaelis omne in Arymam imperium tenent.

Protas. Hæc Imperator, filius, nurus mihi?
Sic luditur Protasius? sceptrum novum
Dum spondet Imperator, antiquum quoque
Idem Imperator, filius, nurus rapit?
Cianquedon. Fiuma nempe causa totius mali,
Contra parentem filium impellit ferox.
Sceptrique cupida prævenit dolis avum.
Hæc sola regni Furia miscet omnia,
Just. Hic fructus est connubii haud satis pii.
Dum sceptra conjux artibus malis nova
Exposcis, etiam vetera deperdis miser.
Quin grandiora metuo. Rex capiti cave,
Vitæque. *Protas.* Lachrymas, uxor, impelles procul.
Arma, arma, non lamenta delusus petit
Protasius. Fiuma, Michael, Aryma?
Et Imperator sentient, adhuc manum
Ensemque sceleris vindicem Protasio
Superesse? Vel si fata vindictam negent.
Superesse saltem sanguinem hoc in corpore,
Quem non inultum fundere solent principes.
Si quis fidelis servus est adhuc super,
Regem sequatur: Arymam rupta mora
Revertimur. *Justa.* Quid? Arymam conjux petis?
Quis te furor dementat. *Protas.* In regno suo

Pro-

Protasium regnare; vel mori decet.
Cianqued. Protasium regnare non mori decet:
Regnare tamen ut valeat, Arymam modò
Subire caveat: populus omnis regibus
Novis adhæret. Parce rex capiti tuo,
Et tutiora quære consilia: nihil.
Præsentia tua poterit. *Justa.* Immo hæc acrius
Incendet animos; natus in patrem quoque
Audebit - - horret animus effari omnia;
Quæ suspicor. *Protas.* Michael! heû ingrate Michael!

SCENA QUARTA.

Protasius. Justa. Sacajus. Cianquedonus.

Sacajus. Suspecta adhuctdum tibi Sacajana est domus?
Adhucné Martha perfidos cudît dolos?
Prot. Sacaje vincis. Fateor, injustus nimis
Tibi imputavi crimina; & fraudes malas
Quarum nefandus artifex tandem patet
Misero parenti. *Justa.* Jam damus pœnas tibi;
Noli improbùm insultare *Sacajus.* Miseris neûtiquam
Insulto, sed condoleo sorti regiæ.

Poſtquam Dii ipſi vindicant plus quàm ſa-
tis
Meam ſororem. Quin, ut agnoſcas be-
ne,
Quàm Martha, quàm Sacajus, & parens
meus
Protaſium etſi graviter offenſi, colant;
Meo, & parentis nomine hodiedum tibi
Contra rebelles ſubditos manum meam
Opésque cunctas offero, & teſtor Deos
Vel ſanguine meo protegam regis caput.
Fiuma ſola, cauſa præſentis mali,
Quæ filium ſeduxit, & contra patrem
Ad impia arma compulit, quæ conjugem
Meæ ſorori rapuit, & ſceptrum tibi,
Hæc ſola nobis debitas pœnas dabit.
Protas. Generoſa miror pectora. Video, li-
cèt
Jam ſeriùs, quos ſpreverim. At teſtor po-
lum,
Injuriam reparabo. quam Marthæ intuli,
Veſtræque ſtirpi. Pereat hac pellex manu;
Nam pellicem Fiumen ipſus ipſus jam vo-
co.
Petamus igitur Arymam: ferrum, & faces
Latè vibramus. Sanguine rebelli probra
Illata nobis abluat vindex manus.
Juſta. Ah! ſiſte nimios impetus. Quid de-
nique
Tentabis unus Arymæ contra omnium
Inimica nobis arma? Non nati modò,
Vel civium perfidia nos, conjux, premit,
Sed

Sed Imperator ipſus. Hujus viribus
Protaſius reſiſtet; *Cianqued.* Admitte, obſecro,
Saltem moras. Vindicta, quam præceps nimis
Expoſcis, ipſa regium perdet caput.
Sacajus. Sic eſt. Decet preſſiſſe tantiſper, licèt
Juſtiſſimam, quam mente vindictam coquis:
Dum vindicandi tutior ſeſe offerat
Occaſio.

SCENA QUARTA.

Protaſius. Juſta. Sacajus. Quibous. Cianquedonus.

Quib. - Parata, rex, in littore,
Stat navis, hanc conſcende ſine mora, obſecro
Et cede procul hinc. *Protas.* Ergo me affinis quoque
Suis repellit ædibus? *Quib.* Id unum ſuper
Inimica ſors reliquit, ut regem hoſpitem,
Quin & ſororem propriam exoptem meis
Abeſſe procul ab ædibus: nam Fuchſimi
Secura non eſt ſtatio pro Protaſio,
Poſtquam Imperator ipſe contra vos manus

Et arma tollit. Fugite. *Protas.* Quid? turpem fugam
Suadere regi affinis? *Quibous.* Haud turpis fuga est,
Si tempori cedatur. *Justa.* At quis heu! fugæ
Locus super, dum Japonum infestus premit
Tyrannus? *Quib.* Altum petite Sinarum mare,
Aut Insulas, quas miles Hispanus tenet.
Sacajus. Non tuta satis est publica per æquor via.
Potius latebras quærite. Est patri meo
Castrum propinquo in littore satis abditum.
Huc clanculum secede rex, donec dies
Tempúsque forsan faustius demum afferat
Et vindicandæ injuriæ, & regni tui
Occasionem Spondéo promptam ratem
Hæres? timésne forsitan, ne injuriæ
Meæ sorori nuper illatæ memor
Parens domúsque nostra vindictam paret
Fraudémque? *Justa.* Rex, cognovimus dudum satis
Animum Sacai, non nisi fidam nimis.
Qui læsus etsi graviter amat adhuc tuos.
Vocate natos. Prendimus, conjux, opem,
Manúmque, quam Sacajus immeritis licèt
Generosus offert. *Quib.* Tutior utique nullibi
Latere poteris: nam quis in eorum domo
Quos

Quos læſerat graviſſimè, regem Arymæ
Quæſiiſſe aſylum credet? *Saca.* Et habebis tamen
Fidiſſimum. *Protas.* Sacaje, quondam filium
Te nominare ſueveram, & tu me patrem,
Donec, meum non amplius tego ſcelus,
Donec parens è filii thoro expuli
Tuam ſororem, & fœdera inter nos bene
Sancita rupi perfide. Ah! quàm tu modò
Offenſus etiam, filii nomen tamen
Meliùs mereris, quam meus heü! degener
Michael patri rebellis! Amplexum cape,
Affinitatis priſtinæ fœdus novo
Committo natos, conjugem, & totam domum
Protaſianam. Protege, ut potes, exules.
Sacajus. Reſumo nomen filii. Amplector patrem.

SCENA SEXTA.

Perſonis prioribus accedunt Franciſcus & Mathæus.

Protas. Valeto conjux: filii chariſſimi
Valete. *Franc.* Quid valere nos pater jubes?
Juſta. Utique ſimul pergemus? *Sac.* An dubitas adhuc?

Protas. Vos tutiora petite ; ſed Protaſium
Fuga dedecet tam turpis. Optamus mori,
Sed inter arma : ſic mori regem decet,
Non exulare turpiter. Repeto Arymam
Aut perdere, aut perire me juvat citò.
Juſta. Quis denuo furor ? *Quib.* Ergo filio impio
Rebellibúsque ſubditis ultro caput
Inerme vis exponere ? *Protas.* Expono caput
Latúsque ferro filii. Sceptrum patri
Rapuit ſceleſtus, rapiat & vitam ſimul.
Math. Ah genitor ! ah ne criminis tanti objice
Occaſionem filio. *Franc* Frater ſatìs
Jam jam impius, ne ſcelere graviori ſcelus
Cumulet, parens caveto. *Protas.* Compleat ſcelus,
Quod cœpit, atque purpuram pingat patris
Cruore. Sic ſaltem erubeſcere impudens
Fors diſcet, at me juverit regem mori,
Valeto conjux, Filii, affinis, Vale.
Sacaje, dum Protaſius mortem petit.
Sed ſtrenuam, ſed rege condignam. *Math.* Pater !
Sic Orphanos relinquis ? *Protas.* Eſt mater ſuper
Regina, ſequere ad littora Sacajum ducem,
Fugiensque mater filios ſerva tuos.

Juſta.

Justa. Etiam ipse Pater es; filios serva tuos:
Nam conjugem, quod video, jam curas parum,
Ultròque gaudes perdere, *Protas.* Ah! parce, obsecro,
Mea Justa dictis talibus, *Justa.* Parce, obsecro,
Rex ipse factis talibus, nec impetu
Nimis furenti perde nos omnes simul.
Quibous. Admitte sana monita. *Sacaj.* Nobiscum fuge.
Protas. Non exulare didicit animus regius,
Perferre mortem potero; sed probrum fugæ
Perferre nequeo, *Quib.* Quod probrum est in hac fuga?
Protas. Morte gravius. *Justa.* Bene est venite filii,
Regalis animus est & in nobis: probrum
Perferre pariter nequeo. Si tantum probrum
Patri videtur fugere, nec nobis fuga
Est imperanda; pariter audemus mori.
Præcede rex; vel sequere. Si mori placet,
Præeamus, aut sequemur. *Math.* A latere patris
Me nulla vis avellet. *Franc.* Arymam petis
Mortémque? pariter Arymam, & mortem peto.
Justa. Perge ergo, perge: victimas una die
Quatuor furenti filio pater objice.

Specta cruorem conjugis miſtum tuo
Et filiorum ſanguini. *Protas.* Ah ! Conjux
Amata ! quò me cogis ? *Math.* Hæ niſi lacrymæ
Te commovebunt , ſanguinem noſtrum patens
Jam nunc tenellis exige è fibris. *Franc.* Juvat
Manu paterna cadere potiùs , quàm impii
Fratris cadamus victimæ , & ſimul patrem
Videamus ipſa filii cæſum manu.
Quib. Neceſſitati cede rex paulùm. Senex
Eſt Imperator, nécque Japonum diu
Sceptrum tenebit amplius. Nox unica
Mutare cuncta poterit. *Sacaj.* Extincto ſene
Privata fulcro filii pellex mihi
Tibìque demum debitas pœnas dabit.
Justa. Non, non: moras Protaſius neſcit : cupit
Citò perire conjugem , & totam Domum
Protas. Regina vicis , vincitis amici ; obſequor,
Fugam ſimul capeſſimus. Protaſius
Aſſueſcet exul vivere, ut vivant ſui.
Quibo. Confide rex , exilia non prement diu
Protaſianos. Lætior , ſpero brevì
Se ſcena pandet. *Sacajus*, Rumpimus igitur moras:
Præcedo , vos ſequamini , ſed clanculum.

Quibo

Quiboe deduc principes domum meam.
Protas. Dic exules. *Quib.* Sed exules rursum,
& brevì
Reges futuros. Credite . - at quis huc
gradum ;

SCENA SEPTIMA.

Personis prioribus accedit Xogura cum satellitibus.

Xogura. Ignoscite ! importunus hos subeo
Lares ,
Ipsúsque doleo , sed tamen servum deces
Implere Domini jussa. Milites domum
Arcta corona cingite : hinc nemo exeat ,
Quiboe nos sequare. Mandatum vides
Summi Monarchæ , quid jubeat , ipsus le-
ge.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA

Quibous. Xogura. Xoguræ satellites.

QUib. - Ergo sororis conjugem , regem
hospitem
Affinis, hospes , ipsus hostis in manus
Extra ,

Extradat? *Xogur.* Aut si tradere recusat, manum
Vímque admovemus ædibus. Fugæ locus
Nullus patet Protasio. Sed suaserim,
Ut ipse morem Japonum sequi audeat,
Vilésque prævenire lictorum manus.
Monere regem poteris, & jussa ultima
Magni Monarchæ pandere. *Quibous.* Tyrannum voca,
Et non Monarcham Japonum. Ast ipsus subit
Protasius. Præsentia mea haud opus
Solus nefastum nuntium regi feras.

SCENA SECUNDA.

Protasius. Xogura.

Protas. Quid ista demum? méne captivum cupis?
Xogura. Summi Monarchæ Japonum jussa exequor.
Protas. An ergo Daifusama me captum jubet?
Quæ causa regem vinculis dignum facit?
An strinxit arma in patriam Protasius?
An bella movit perfidus? *Xogura.* Quisquis cupit.
Aliena sceptra rapere seu vi, seu dolo,
Pacémque turbat Japonum, hunc patriæ pater

Et

Et Imperator debet, ut poteſt, citò
Compeſcere, & punire. *Protas.* Num Protaſius
Aliena ſceptra rapuit? à vobis mihi
Mea rapiuntur regna; depellor throno.
Nihil ego rapui. *Xogura.* Rapere tentâſti, ſat eſt,
Non vi, ſed arte, qualis haud regem decet.
Protas. Quid arte volui rapere, quæ me non decet?
Xogura. Aliena ſceptra: nempe Figuenſis thronus
Et regio Taccuana quanto à te ambitu
Quæſita ſit, pateſcit. *Protas.* Alienum vocas
Figuenſe regnum? quod pater, avus, & atavus
Poſſedit olim, poſteris hæredibus
Ambire fas non fuerit? hæc patrii throni
Cupido juſta crimini nobis datur?
Xogura. Avita ſceptra quærere eſt juſtum quidem;
Sed non abuti nomine, & ſacra nimìs
Authoritate principis ſummi decet,
Non ficta per diplomata audaci dolo
Veteres heros depellere ſuis ſedibus.
Protas. Quid ficta per diplomata ambivi? *Xogur.* Satìs
Fraudes patent Daifaccii. *Protas,* Daifaccii?
Quas ergo fraudes ille? *Xogur.* Quas Protaſius
Suggeſſit, at quas filii conjux avo

Fidelis

Extradat? *Xogur.* Aut si tradere recusat, manum
Vimque admovemus ædibus. Fugæ locus
Nullus patet Protasio. Sed suaserim,
Ut ipse morem Japonum sequi audeat,
Vilésque prævenire lictorum manus.
Monere regem poteris, & jussa ultima
Magni Monarchæ pandere. *Quibous.* Tyrannum voca,
Et non Monarcham Japonum. Ast ipsus subit
Protasius. Præsentia mea haud opus
Solus nefastum nuntium regi feras.

SCENA SECUNDA.

Protasius. Xogura.

Protas. Quid ista demum? méne captivum cupis?
Xogura. Summi Monarchæ Japonum jussa exequor.
Protas. An ergo Daifusama me captum jubet?
Quæ causa regem vinculis dignum facit?
An strinxit arma in patriam Protasius?
An bella movit perfidus? *Xogura.* Quisquis cupit.
Aliena sceptra rapere seu vi, seu dolo,
Pacémque turbat Japonum, hunc patriæ pater

Et

Et Imperator debet, ut poteſt, citò
Compeſcere, & punire. *Protas.* Num Protaſius
Aliena ſceptra rapuit? à vobis mihi
Mea rapiuntur regna; depellor throno.
Nihil ego rapui. *Xogura.* Rapere tentâſti, ſat eſt,
Non vi, ſed arte, qualis haud regem decet.
Protas. Quid arte volui rapere, quæ me non decet?
Xogura. Aliena ſceptra: nempe Figuenſis thronus
Et regiò Taccuana quanto à te ambitu
Quæſita ſit, pateſcit. *Protas.* Alienum vocas
Figuenſe regnum? quod pater, avus, & atavus
Poſſedit olim, poſteris hæredibus
Ambire fas non fuerit? hæc patrii throni
Cupido juſta crimini nobis datur?
Xogura. Avita ſceptra quærere eſt juſtum quidem;
Sed non abuti nomine, & ſacra nimis
Authoritate principis ſummi decet.
Non ficta per diplomata audaci dolo
Veteres heros depellere ſuis ſedibus.
Protas. Quid ficta per diplomata ambivi? *Xogur.* Satis
Fraudes patent Daifaccii. *Protas,* Daifaccii?
Quas ergo fraudes ille? *Xogur.* Quas Protaſius
Suggeſſit, at quas filii conjux avo

Fidelis

Fidelis ipſa prodidit. Daiſaccium
Adducite huc. Huîc ultimùm ſi vis loqui,
Per me licebit. Captus hic pariter meus ;
Et ad tribunal regium juſſus trahi,
Pœnas daturus debitas audaciæ,
Qua ſacro abuſus nomine ſui Principis
Diploma finxit improbum ad votum tuum.
Protas. Daiſaccius diploma finxit ? *Xogur.*
En! adeſt.

SCENA TERTIA.

Protaſius. Xogura. Daiſaccius in vinculis.

Protas. Impoſtor edic : quos ſtruis tandem dolos ?
An ficta ſunt, quæ ſcripſeras , diplomata ?
Daiſacc. Et quis coëgit fingere , niſi , rex tua
Infauſta nimis ambitio ? *Protas.* Quid ? me proditor ?
Fraudis nefandæ dicis Authorem ? *Daiſac.* Niſi
Aliena ſceptra , & ambitu tanto quidem,
Protaſius quæsîſſet , infelix minùs
Daiſaccius fuiſſet. Hæc nunquam manus
Quod ſcripſerat, ſcripſiſſet à temet niſi
Tot munera accepiſſet. Infauſta hæc tua
Dona impulêre , ut omnia auderem miſer ;
Auri

Auri cupido nimia, vah! Daifaccium,
Sceptri cupido nimia te rex perdidit.
Vel, ut loquamur veriùs, præfens malum
Ab altiore dextera à Cœlo venit.
Uterquę juſtas Numini pœnas damus
Connubii infelicis, ad quod filium
Suadente me, fatebor, impulit pater.
Hoc Chriſtianis ſcandalum à nobis datum
Noſtro cruore vindicat juſtus Polus,
Utens Tyranni, pellicis, nati manu.
Xogura. Compeſce vocem hanc. Pellicem audes dicere
Neptem Monarchæ maximi? Miles reduc
Ad carceres, dum debitas pœnas luat
Impoſtor hic, mox flammeo arſurus rogo.
Daifacc. Ignoſce rex, ignoſcat & noſter Deus
Utrique. *Protas.* Vade proditor dignus rogo,
Et mille flammis.

SCENA QUARTA.

Protaſius. Xogura.

Protas. - - Sentio tandem dolos
Queis Sycophanta tamdiu illuſit mihi.
Diploma nempe fingere auſus proditor
Dum ſceptra ſpondet nomine Auguſti nova,
His denique irritavit Auguſtum dolis,
Aulámque totam pariter in noſtrum caput.

Hæc

Hæc illa nunquid crimina, hæ fraudes malæ
Quas aula denique objicit Protasio?
Xogura. Hæc ipsa te, rex vinculis premunt.
Protas. Bene est.
Jam nil opus custodia: pronus sequor,
Et sponte pergo ad regiam. Ipsus provoco
Summum ad tribunal Japonum: in fraudis fabros
Ipsus Monarchæ vindicem appello manum.
Xogura. Rex, ad Monarchæ regiam nullus tibi
Ultrà patescit aditus. *Protas*. In causa sua
Rex audietur utique? *Xogur*. Discussit satis
Hanc aula causam. Lata jam sententia.
Protas. Quid? Lata? Leges Japonum ferri vetant
Sententiam, dum causa tota partium
Audita non est. *Xogur*. Filius patris loco
Auditus est. *Protas*. Quid filius? dic perfidum,
Hostèmque: primus prodit hic causam patris.
Hic ipse primus improbæ fraudis faber,
Reducit se Protasius ad interius conclave. In quem Monarchæ vindicem appello manum.
Xogur. Non missus huc sum, ut Judicis partes agam.
Mandata tantùm principis mei exequor.
Protas. Quænam igitur hæc mandata?
Xogur. Rex, ipsus lege. *

SCENA

SCENA QUINTA.

Justa. Xogura.

Justa. Interrogare regibus si quid licet,
Quid ista vult custodia? an capti sumus?
Xogura. Regina, liber exitus patet tibi,
Quocunque placeat, perge. *Justa.* Sed conjux meus,
Sed filii quid? *Xogura.* Filii tecum simul
Abire poterunt liberi. Immo hos Arymam
Invitat ultro frater, & reduces cupit.
Vel si Monarchæ maximi aula præplacet,
Tibi, tuisque pariter hæc natis patet.
Nil innocentem conjugem, & natos premet
Crimen parentis. Solus hic luet nefas.
Justa. Quod ergo conjux denique admisit nefas?
Xogura. Hoc ipse tibi, regina, si volet, potest
Rex pandere. Mihi parce: secedo interim,
Poteris supremùm conjugi conjux loqui.

SCENA SEXTA.

Protasius, Justa.

Justa. Quid ista, conjux? *Protas.* Conjugem morti vides
Adjudicatum: regium caput sibi
Poscit Tyrannus Japonum. Tanti mali
Ne quære causam: Filius, nurus, dolus
Daifaccii, omnia miserum regem opprimunt.

Hoc in loco, & in hac hora adhuc Protasium
Suo videbis innatantem sanguini,
Quin, ne videre debeas spectaculum
Adeò nefastum, cede conjux hinc procul,
Natísque mater consule, & vale ultimùm.
Justa. Non lacrymas, non fœminæ in luctu gravi
Lamenta sueta fundo; non vanis domum
Impleo querelis: non Tyranni, aut pellicis,
Aut parricidæ filii manum impiam
Accuso. Cœlum, video, Cœlum nos ferit,
Justúmque Numen dextera aliena utitur
Ad punienda crimina & tua, & mea.
Protas. Quæ crimina tua? Crimen heu! solum meum est,
Quod provocavit sydera. Agnosco scelus,
Seróque tandem defleo infandos thoros,
Ad quos adegi filium insanus parens.
Justa. Fateamur igitur culpam uterque supplices,
Et pœnitentes Numini justissimo,
Simúlque clementissimo, etiam dum ferit,
Submittimus nos. *Protas.* Numinis dextræ quidem
Submitto me; sed filio, sed pellici,
Qui tam nefandis fraudibus sceptrum patri
Vitámque rapiunt, regius nequit animus
Ignoscere. *Justa.* Immo regius potissimùm,
Et Christianus animus hostibus quoque
Ignoscere generosus, & pius solet.
Protas. Ignoscere quidem regium, si hostes fiant

Vel

Vel fupplices, vel exteri, à nobis priùs
Læfi; fed ipfe filius, cui pater
Vitam, thronúmque dederat, hic vitam patri
Thronúmque rapiat? Et quis hæc patiens ferat,
Siléusque? *Justa.* Juftus, fateor, hic quidem dolor,
Scelúsque nati lanciriat meritò patrem,
Ignofcere tamen talibus etiam hoftibus
Lex Chriftiana nos jubet. *Protas.* Legem colo;
Sed dura lex hæc! filiis, vitæ & throni
Raptoribus dare veniam? & quidem dolo,
Et absque caufa perfequentibus patrem,
Cui tanta debent? *Justa.* Optimo nunquid Deo
Majora nos debemus? & quoties tamen
Quamque improbè nos læfimus noftrum hunc patrem?
Si pofcis igitur, ut tibi ignofcat Deus,
Et te tuis ignofcere hoftibus decet,
Quicunque fuerint. Chriftus hoc jubet, tuus
Judex brevì futurus. *Protas.* Ah! conjux file
De Judice hoc. Jam palpitat pectus malè
Sibi confcium, dum meminit hujus Judicis.
Justa. Salubris equidem terror hic; fed ne nimis
Huic cede. Quin fiduciam rex concipe.
Placare poteris Judicem hac adhuc die:
Ignofce, tunc ignofcet & Deus tibi.
Nam fic fpopondit ipfe. Quin cernis palàm,
Et Numinis clementiam palpas manu?

Dum te feverè punit hoc in fæculo,
Te diligit, nec perditum æternùm cupit,
Dum fceptra patitur eripi, & vitam tibi,
Eripere morti temet æternæ parat.
Procul à falutis tramite à cœlo procul
Te cœca nimis ambitio per fcelerum viam
Raptâffet, animæ penitus oblitum fuæ:
Sed jam ruenti vincula, & frœna injicit,
Et vi Deus Protafium ad cœlum trahit.
Exofculemur ergo divinam manum,
Juftam, piámque. Sceptra, fortunas, opes,
Ipfúmque demum fanguinem demus Deo,
Qui proprium ipfe fanguinem hac ipfa die
Pro utroque noftrûm promptus, & lætus dedit.

Protas. Ah chara conjux! fanguinem, & vitam Deo
Lubens darem, nec pectus hoc mortem timet,
Tot inter arma, & bella contemptam diu:
Sed caufa mortis regium pectus premit.
Si pro facrata Lege, pro caufa Dei
Mori mihi liceret, ô quàm tum impigrè
Quàm gloriosè morerer! at nunc ob fcelus
Meum, & meorum crimina, & fraudes malas
Mortem pudendam fubeo, non fidei facræ,
Sed victima ambitionis infelix nimis.

Jufta. Mors Chriftiana mente de manu Dei
Sufcepta,

Sufcepta, qualecunque fit mortis genus,
Pudenda non eft amplius. Cœlum afpice,
Nec à Tyranni, aut filii,aut hominum manu,
Sed à Deo mortem accipe. *Protas.* O Jufta optima!
Meliore digna conjuge! Ifte animus tuus
Quantùm erigit Protafium! Subeo necem
Jam fortior, dum conjugem video meam
Tam fortiter perferre ferientis Dei
Juftam, piámque dexteram. Juffis poli
Submitto me: unam defleo caufam necis,
Mea nempe fcelera. *Jufta.* Fletus hic quàm me beat!
Quàm Chriftiano rege dignus hic dolor!
Protas. Paullùm relinque me Deo foli. Interim
Solare natos: Immo, ne fciant,cave,
Sortem parentis afperam. *Jufta.* Ut conjux jubes.

SCENA SEPTIMA.



Jufta fola.

Nunc ite lacrymæ, & corde compreffus dolor
Erumpe! poftquam fola fum, jam liberæ
Fluant querelæ: nec Deus juftiffime,
Cujus adoro dexteram, indignè feres,

Si fœmina fleat misera, quæ die unica
Regina sceptrum perdit, & conjux virum,
Et orba mater filios videt exules,
Nec invenit, ubi jam orphanos condat,
locum.
Hodie plateæ publicæ expôsti gement.
Herì sedentes regio læti throno.
Nati misselli! Mater infelix! patrem
Et conjugem una surripit nobis dies!

SCENA OCTAVA.

Justa. Sacajus.

Sacaj. Regina parce lacrymis; vivet tuus
Protasius, vivétque felix. *Just.* Altero
In Orbe felix vivet, ut spero; ast in hoc--
Sacajus. Etiam hoc in Orbe vivet, & vivet
diu:
Modò saniora consilia sequi velit.
Justa. Quid ergo suades? *Sacajus.* Pando
mox regi. Interim
Age, filiis renuntia, vitam patris
Extra periclum. Plura mox dabit exitus.
Justa. Spe nempe vana fœminæ luctum
paras
Suspendere, & spectaculo tristi meam
Præsentiam amovere: dum ferro interim
Protasius submittet infelix caput.
Sacajus. Regina nôsti; fingere Sacajus nequit.
Nec vana refero. Vivet, & liber brevì
Conjux

Conjux revifet conjugem, & natos pater.
Jufta. Benigna nimiùm fydera! Anne adhuc opem
Protafio paratis? an vos innocens
Fletus meorum movit? & natis patrem
Servatis? Ah Sacaje! quid non debeo,
Si -- *Sacajus.* Crede; foli colloquar regi, fine.
Jufta. Tibi credo regem, filios, matrem, omnia.

SCENA NONA.

Protafius. Sacajus.

Protas. Sacaje fili, amplectere ultimùm patrem,
Et ut ego pariter te ultimùm amplectar, fine.
Sacajus. Abfifte rex - *Protas.* Quid? ultimum amplexum negas
Protafio? num vulnus obductum malè
Recruduit? num denuo illatæ memor
Injuriæ Sacajus - - - *Sac.* Amplexum nego,
Quem poftulabas, ultimum: diutius
Rex nempe vives. Nuntium lætum fero:
Parata vitæ gratia eft Protafio,
Velit modò confilia, quæ dabo, fequi.
Noftine caufam mortis, indictæ tibi

Potissimam? nam filii, aut Daisaccii
Fraudes nefandæ, crede, non primaria
Sunt causa; latitat altior. *Protas.* Novi satis
Sacaje novi perbene. Latet altior,
Immo patescit causa: nempe à Numine
Hæc pœna venit, vindicat justus Polus,
Et per Tyranni, pellicis, nati manum
Punit nefandum proditam à nobis fidem,
Et sacra Patrum dogmata, à me tam impiè
Contempta. *Sacajus.* Quàm rex gaudeo, quod denique
Agnoscis ipse originem mali tui.
Contempta nempe Japonum, & avorum fides,
Diique patrii, quos peregrino Deo
Postponere haud es veritus, in caput tuum
Hæc provocârunt fulmina. Hi ritus novi,
Quos solus inter Japonum reges foves
Contra Monarchæ publica edicta, & minas,
Læsêre dudum graviter haud plebem modò,
Aut Bonzios, sed principum omnium simul

In te excitârunt odia, queîs pressus modò
Succumbis, & jam, nemine Patrono, neci
Adjudicatus regium perdis caput.
Protas. An ergo Christiana, quæ colui, Sacra,
Novique ritus causa sunt mortis meæ?
Sacajus. Aliam Tyrannus publicè assignat quidem,
Et regium tribunal infandos dolos
Daifaccii Protasio adscribit palàm:
Sed interim (sic Fuchsimi Præses mihi
Confessus ipse est) causa fors primaria
Sententiæ tam atrocis in regis caput
Est Christianum nomen. Hoc rex abjice,
Vel finge saltem abjicere; mox sententiam
Jam jam exequendam Fuchsimi Præses lubens,
(Sic spondeo) revocabit. *Protas.* An verò potest
Audétque præses Fuchsimi sententiam,
Quam summus Imperator ipse in nos tulit,
Revocare? *Sacajus.* Dixi, si abjicis Christum, potest.
Quin plura longe -- ast ipsus En! præsens adest.

SCENA DECIMA.

Protasius. Xogura. Sacajus.

Xogura. Sacaje, quid Protasius? Non approbat
Consilia, quæ misertus afflictum nimis
Regem, Domúmque regiam per te dedi?
Sacajus, Loquatur ipsus. *Protas.* Quid loquar? nequit animus
Tam fausta capere nuntia. O quantô tua
Sacaje dicta pectus hoc luctu levant!
Servare vitam potero, si libem Diis?
Si Christiano nuntium mittam Deo?
Xogura. Si publicè renunties Christo, potes
Sperare longè plura. Dixi publicè:
Nam publicos habere me testes decet,
Cur publicam sententiam in regis caput
Latam retractem. *Protas.* Fuchsimum totum, rogo,
Adesse jubeas - *Xogura.* Sufficit, si adsint tui,
Meique comites. Pande jam miles domum:
Protasianis omnibus liber, volo,
Patescat aditus. *Sacajus.* Gratulor regi, & Diis

Con-

Concepta solvo vota pro capite tuo * ·
Xogura. Etiam ego multùm gratulor tibi, & mihi ,
Quod triste nimium munus impôstum prius
Non cogar amplius exequi. Mortis metum
Iam pone : nec te vincula gravabunt diu.
Protas. Tua, & Sacai dicta jam jam omni metu
Me liberârunt. Totus immutor : redit
Serena demum, nubibus pulsis , dies.

* *Dissedit Sacajus.*

SCENA UNDECIMA.

Protasius. Xogura. Jocondonus. Cianquedonus. Aula Protasii, & comites Xogurae.

Cianqued. Sperare , num timere , rex, servos decet?
Quid hac statuitur regium in caput die?
Jocond. Morem sequemur Japonum , fidi tibi
Ad usque mortem. Nostra si regis caput
Servare nequeant tela, saltem sanguinem
Et spiritum cum rege fundamus simul.

Cianqued.

Cianqued. Nudamus arma: ſtringimus ferrum pii,
Et more patrio mutuo nos vulnere
Regi immolamus victimas. *Protas* Ferrum, & manum
Cohibete, jubeo *Xogura.* Regio capiti nihil
Ultra timete. Vivit, & vivet diu
Rex veſter. *Cianqued.* * An non ultima indicta eſt tibi
Sententia? *Jocond.* * An non regium caput petit
Per te Tyrannus? *Xogur.* Petiit, at, dixi, modò
Mutata ſcena eſt: Salvus eſt Rex Arymæ,
Eritque. *Protas.* Sic eſt: Salvus, & liber brevì
Ero, O amici! Ponite enſes impios.
Quin, ſi fideles eſtis, & regem piè
Amatis, arma tradite in noſtras manus.
Jocond. Jurata regi tela non, niſi cui
Jurata ſunt, ſubmittimus: Soli tibi,
Si ſic jubes, trademus * *Prot.* Hîc deponite.
Cianqued. An erga ſalva denuo ſunt omnia?
Jam liberum periculo regis caput?
Xogura. Omni periclo ſemet hac adhuc die
Rex liberare poterit. *Jocond.* Et quonam modo?

Xogura.

* *Ad regem*
* *Ad Xoguram*
* *In interiori cubiculo ſupra menſam deponunt arma.*

Xogura. Mox audies. Rex testium jam ad
sunt satis.
Jam publicè, quòd - - *Protas.* Conjugem
velim quoque
Adesse. *Jocond.* Jam propinquat. - -

SCENA DUODECIMA.

Personis prioribus accedit Justa.

Justa. - - - heu dolor ; pudor !
Quid audio rex? Siccine hanc vitam brevem
Redimere tanto scelere turpis transfuga
A lege sacra audebis ? & - - *Protas.* Sile, obsecro,
Regina, donec audias - - *Just.* Vah ! audii
Jam tristia nimis, quæ ipse Saccajus mihi.
Sic nempe - - *Protas.* Sileas, obsecro, volo, impero.
Xogura, num das publicam fidem mihi,
Certámque, quòd, si patria recipiam Sacra,
Et Christiano nuntium mittam Deo,
Servabo vitam? *Justa.* Quæstio horrenda ! impia!
Pereo pudore ! *Xogura.* Spondeo, obstringo fidem;
Nam de Monarcha Japonum certus satis
Etiam tribunal regium, novi bene,

Quid

Quid mente foveat. Odia, quæ Regem Arymæ
Presſêre, mox oppressa cessabunt, ubi
Rex Christianus esse cessabit. *Justa.* Nefas!
Xogura. Redibit ad te Japonum omnium favor,
Si rex avitos Japonum ad Deos redis.
Justa. Miserande rex! - - *Protas.* Quiesce; quid luges malè
Regina? quod petiveram dudum unicè,
Tuque ipsa mecum - - *Justa.* Quid? Sacrilege transfuga!
Hoc ipsa tecum optaveram? *Protas.* An non sæpius
Uterque suspiravimus voto pio,
Ut pro sacrata lege, pro causa Dei
Mori liceret? Ecce! quod dudum unicè
Optaveram, nunc teneo. Dum vitam queo
Servare, si renuntiem Christo, & tamen
Renuntiare nolo, nunquid pro Deo,
Pro Lege sacra morior? & quæ denuo
Sperare possem, sceptra, vitam, sanguinem,
Non jam coactus perdo, sed sponte immolo
Legi, Deóque? Nunquid hôc majus potes
Solamen exspectare? Jam non amplius

Ut

Ut victima ambitionis infelix cadit
Protasius, sed Martyr, & fidei sacræ
Ter gloriosus testis, & Christi hostia.
Justa. Ignosce conjux conjugi indignam nimis
Opinionem! Spiritus tecum novos
Resumo : luctum pono: non ultra fleo
Mortem mariti, quando jam non ut reus,
Sed gloriosus Martyr ob fidem cadit.
Xogura. Rex saniora, moneo, consilia cape.
Aliàs tenebor, & quidem rupta mora
Sententiam exequi. *Protas.* Exequere; promptum vides.
Xogura. Ut exequaris ipse more Japonum,
Concedo spatium, sed breve. Lateri tuo
Adhuc adhæret ensis: utere ultimo
Hoc jure mœsto Japonum, ut fortem decet,
Et ventre secto præveni alienam manum.
Justa. Rex, Christiana dogmata - *Prot.* Quiesce; exequar
Quod Japonem, quod nobilem, & regem decet,
Sed Christianum. *Jocond.* Japonum morem quoque
Servare nobis liceat. * Age, produc tuos
Satellites: per mutua, ut mos patriæ
Jubet, cadamus vulnera, & regi hostias
Nos immolamus. *Cianqued.* Redde rex nobis prius

* *Ad Xoguram.*

Erepta

Erepta tela. *Protas.* Siſtite hìc : mox ſingulis
Aptata tela dividam, & ſimul modum
Docebo, quo pugnare vos pro me volo.
Xogura. Concedo quidquid Japonum mores probant.
Meos pariter adduco rediturus brevì.

SCENA DECIMA TERTIA.

Xogura. Quibous. Mathæus. Franciſcus.

Quibous. Xogura, cernis ſupplices hodie tibi
Ad ſceptra natos Principes: ſed heu! brevi,
Brevì orphanos. *Xogura.* quid igitur à me hi ſupplices?
Quibous. Lacrymæ perorant. *Math.& Franc.* Ah! Patrem, nobis, patrem
Xogura nobis redde. *Xogur.* Doleo, Principes,
Sortíque veſtræ indoleo: ſed ſi ipſus pater
Perire vult, & regiam ſecum Domum
Evertere ipſus, nil, licèt vellet, poteſt
Xogurà. *Math.* Quid? perire vult ipſus Pater?
Xogura. Conſilia renuit cuncta, quæ dedi optima
Vitæ impetrandæ. *Quib.* An ergo ſpes vitæ ſuper

Pro-

Protasio? *Xogura.* Fuisset; ast omnem sibi
Præcludit ipsus gratiæ, & spei locum.
Cruenta nimiùm scena mox hac in domo
Se pandet. *Quibous.* Ah! perire si regem decet,
Alias ad ædes, obsecro, & saltem procul
Abducite hinc: nec cæde regali mea
Hæc tecta funestate. *Xogura* Compleam, decet,
Jussum Monarchæ. Verba sat clarum sonant:
Ubicunque deprehenderis Protasium,
Mox exequi sententiam in eodem loco
Xogura ne cuncteris. Et jamjam nimis
Regi morarum dedimus. Actus ultimus
Tragœdiæ claudendus. * *Math.* Heu! quid audio? * *Abit Xogura.*
Sententia exequenda mox hoc in loco?
Et qualis hæc sententia? *Franc.* In vinclis Pater
Fors ad Tyranni regiam est jussus trahi?
Math. Graviora, frater, metuo: nam quid hæc sibi?
Cruenta nimiùm scena mox hoc in loco
Se pandet? Ah avuncule! quid ergo Patri?
Quib. Chari nepotes parcite! immensus dolor
Qui me premit, perditque - *Franc.* Dic.
Quib. Ipsi Patrem
Accedite; audietis. En! prodit parens

Uterque. Me subducò, nec vultus fero
Affinis, & sororis afflictæ nimis.
Franc. Immo serena fronte procedunt. Io!
Meliora jam speremus.

SCENA DECIMA QUARTA.

Protasius. Justa. Franciscus Mathæus.

Justa ad Protasium -- Ecce! filii.
Protas. Occursus importunus! ah! Patrium nimis
Pectus moveri sentio. *Justa.* Fatum Patris
Celamus, & solamur hos pio dolo.
Venite nati, capite complexum Patris,
Et prosperum precemini, ac felix iter.
Math. Felix iter? dùm nempe captivus Parens
Jussu Tyranni trahitur heu! quò nescio.
Franc. Noli timere: læta frons matri nimis.
Protas. Sic est: mentum deponite ô nati. Nihil
Mihi Monarcha Japonum mali inferet.
Justa Immo beatum faciet hic patrem brevì.
Math. Alia tamen Xogura funestissima
Minatus est. *Protas.* Xogura non satis capit

Arcana

Arcana nostra. *Franc.* Credito frater Patri
Matrique. Nôrint utique meliùs omnia.
Math. Solvetur ergo denuo vinclis parens?
Justa Quin immo vinclis omnibus liber brevì
Nova obtinebit regna. *Protas.* Sic est, filii.
Novam coronam quæro, postquam perdita
Est Arymensis. *Math.* Regna num speras nova?
Protas. Prioribus majora. *Justa.* Quæ vobis quoque
Promissa sunt hæredibus. *Math.* Et à quo nova
Promissa nobis regna? *Justa.* Nempe à maximo
Nostro Monarcha. Credite, hic favet Patri,
Vobisque. *Math.* Mira, frater, involutio.
Quam læta demum fata succedunt malis!
Franc. Hæc ipse nunquid dixeram priùs? Sumus
Iam denuo nos Principes, & Rex Pater,
Regina Mater. *Protas.* Pergite ergo filii
Cum Mater. *Math.* Quo pergamus? *Prot.* Ad tutum locum
Vos ducet ipsa: donec omnes denique
Ad me evocentur. *Franc.* An aberis diu? *Justa.* Brevì

Rursum Patri nos providus junget Polus.
Protas. Bene interim valete, matri subditi,
Deóque fidi, precibus in vestris Patris
Estote memores. *Justa.* Osculum dextræ ultimum
Nunc figite, atque ut ultimùm vobis Pater
Bene precetur, petite. *Math.* Cur verò ultimùm?
Justa. Dixi ultimùm: Nempe ante discessum suum,
Itérque, quod jam ingreditur. *Protas.* Hoc ut sit mihi
Tutum, & beatum, filii, vestræ preces
Et innócentes lacrymæ à cœlo piè
Efflagitabunt. Pariter & vobis precor
Polum faventem. * Cœlicus tegat Pater,
Quos non potest protegere terrenus Pater.
Regina, * subduc filios aspectui.
Solus. Ignosce cœlum lacrymis, & ultimis,
Quibus misellos filios parens miser
In mortis hora prosequor, suspiriis.

* *Genuflexis filiis bene precatur.*

* *Tacitè.*

SCENA DECIMA QUINTA.

Protasius. Xogura. Comites utriusque.

Xogur. Rex, longiores trahere non licet moras.
Urgent Monarchæ jussa. *Protas.* Morem Japonum

Ergo

Ergo ſequamur. *Xogura.* Sequere; ſed citò.
Seca
Tibi ipſe ventrem, & præveni alienas manus.
Protas. Reges inultos cadere probroſum nimis
Genti videtur Japonum: Hinc mihi quoque
Vindicta liceat. Antequam occumbam neci
Servos fideles (Patriæ ſic jura approbant)
Juvat videre vindices mortis meæ.
Vivum juvat ſpectare, quales hoſtiæ
Meo immolentur funeri. *Xogura.* Dixi priùs:
Concedo, quidquid Japonum jura approbant.
Emitte, quotquot intus armatos habes,
Servos fideles; dabimus, ut Dominum ſuum
Præire mox in alterum mundum queant.
Enſes paratos cernis * *Protas.* Et mei ſua
Parata ſtringunt arma. Quid tacitus ſtupes
En arma! queîs ut vindicent mortem meam
Servi mei, depoſco. Non diras neces,
Non ſanguinem opto barbara effuſum manu;
Sed facta cœlo vota, ſed lacrymas pias,

* *Xogura ſatellites arma ſtringunt Protaſianos excepturi. Hi autem prodeunt palliati, cum cereis ardentibus, & pœnitentiæ inſtrumentis variis.*

Et supplices pro morte felici preces.
Hæ Christianos victimæ heroes juvant.

SCENA DECIMA SEXTA.

Personis prioribus accedunt Justa, & Quibous.

Justa. Accede frater; luctui ponas modum.
Beatior, quàm credis, est conjux meus.
Protas. Quiboe plaude, fausta jam domus tua,
E qua patet Protasio ad cœlum via.
En! præsto, quod promiseram hac die tibi,
Et Fuchsimensii Ecclesiæ. Do publicum
Hac nocte fidei specimen: ostendo palam,
Quam falsa sit vox Japonum, sparsa hactenus,
Protasium deserere Christiadum Sacra.
Jam præfero crucem. Fateor, haud talem quidem,
Qualem priùs decreveram; at qualem Deus
Me ferre voluit: nempe jam morte propria
Ipse morienti compati disco Deo,

Lubénsque reddo sanguinem illi, qui suum
Et sponte pro me sanguinem hac dedit die.
Quib. Permitte rex discedere affinem procul.
Spectaculum ferale mens non sustinet
Videre. *Protas.* Quin subsiste; testis omnibus
Futurus, æqua mente mortem pro fide
Protasium subiisse: nam propter fidem
Contemno vitæ gratiam oblatam mihi.
Commendo tantùm conjugem, & natos tibi,
Frater sororem, avuncule nepotes fove.
Et vos, fideles semper, & charissimi
Nobis amici, jam ultimò complectitur
Rex vester olim. Obsequia nobis præstita
Cum pauper ipse nequeo, compenset Deus.
Clanquedone, literas has Arymæ
Regi novo deferto, & ultimas simul
Patris preces: Hoc nempe moriturus Pater
A filio unum postulat, ne perfidus
Christo sacratam deserat legem. Thronum,
Et sceptra mea possideat, ita precor, diu:
Sed subditos in lege conservet sacra,

Deúmque timeat, doctus exemplo Patris,
Quod nec Coronis parcat iratus Polus.
Ignoſco tota mente, quidquid in Patrem
Peccare natus auſus eſt. Demum omnibus,
Quicunque me læſêre, qui vitam mihi
Sceptrúmque rapiunt, omnibus, dixi, omnibus
Ignoſco tota mente. Sic mihi Deus
Ignoſcat, & propitius hac hora ultima
Sit pœnitenti criminum Protaſio.
Ad Xoguram. * Exequere jam ſenteniam in nos ultimam
* En! trado ferrum. *Xogura.* Sequere morem Japonum.
Deponit acinacem. Rex ipſe ventrem diſſeca, & ſpontaneo
Fortíque fato præveni alienam manum.
Juſta. Ah ſiſte rex! Lex ſacra ſibi mortem vetat
Inferre quemquam. *Protas.* Ne, optima O Conjux time.
Legem ſacratam veneror. Infami licèt
Lictoris enſe concidam, cadam tamen
Ut Chriſtianus. Immo jam propter fidem.
Sed tu, recepto jam ultimo amplexu, procul
Recede conjux. *Juſta* Conjugem conjux jubes

Rece-

Recedere ? an me credis indignam, tibi
Quæ claudat oculos ? Optime O conjux ! diu
Conviximus : si commori jam non licet,
Astare saltem liceat hac hora ultima
Fidam marito conjugem. *Protas.* O fidam nimis
Fortémque ! Venias igitur, hac manu tua
Velentur oculi, qui ultimùm jam te vident.
Et dum maritus subjicit ferro caput,
Tu corda subde nutibus Justi Dei.
Ubi carnifex? *Xogura* Carnificis infamem manum
Ferire colla regia indignum nimis,
Honestiorem selige è tuis manum,
Si propriâ, quod suaseram, uti non velis.
Protas. Quis ergo vestrûm hoc ultimum regi suo
Præstabit obsequium ? *Jocond.* Tuis Rex parcito;
Tam triste munus nemini non tristius
Ipsáque morte gravius. *Justa* Hoc unum tamen
Rex postulare munus à servis potest.
Protas. Fiunge sequere : dextera moriar tua.
Vos, oro, pro me fundite preces ultimas.
Cianqued. Rex, ultimum dextræ osculum!
Prot. Hoc figes meo

Cadaveri, Valete * *Xogura.* Condoleo quidem,
Fatebor ipsius, regiæ sorti; at tamen.

SCENA ULTIMA.

Sacajus accedit Personis prioribus.

Sacajus. Quæ scena? vel quid agitur? ubi Rex Arymæ?
Xogura. In fata præceps perditum semet cupit.
Consilia nostra spernere, immo ludere
Insanus audet. *Sacajus.* Ergo nondum publice
Christo renuntiavit? *Xogura.* Immo publicè
Ardore miro prædicat Christi fidem.
Huic immolare sanguinem, & vitam miser
Furénsque gaudet. *Sacajus.* Patere, denuo loquar
Protasio. Flectetur. *Xogur.* Hoc serum nimis.
Jam stat sub ictu. Si tamen speras, moram
Concedo. Propera, accede. * *Quib.* Completum vides
Jussum Tyranni. Subdidit ferro caput
Rex Arymæ, Cadaveri saltem locum

*Protasius in intimum conclave se recipit, quem sequantur Justa, Quibacus, & Fiangus. Christiani flentes genua erant taciti foris.

* Aperto iterum conclavi intimus videtur cadaver Protasii.*

Cedas

Cedas sepulchri. *Xogura.* Lugeo tanti viri
Regisque sortem. Quod queo, cędo lubens.
Sepelire more regio hoc funus licet.
Sacajus. Regina !- *Justa.* Parce nomini huic, nihil mihi
Cum sorte regum, & orbe cum toto nihil
Commune posthac. Nuntium mitto omnibus
Rebus caducis. Jungat, O jungat brevi
Justam suo Protasio Numen pium!
Hujus adoro dexteram, quæ dum ferit,
Sanat simul, quæ sævit, & parcit simul.

O. A. M. D. G.





OBSERVATIONES
IN PROTASIUM.

IN hoc potissimum argumento summa fidelitate secutus sum Historiam Personæ omnes, earùmque characteres ex Historico sunt depromptæ, si solum Sacajum excipias, quem Marthæ substitui, fratrem sorori. Michaelem tamen Protasii filium in scenam producere nolui, non ideo modò, quòd tum Fuchsimi præsens non fuerit; sed quòd filii parentem tam impie persequentis præsentia in spectatore non excitâsset, nisi indignationem tam gravem, quæ commiserationem in Protasium patientem si non obruisset, certè plurimùm minuisset, quod Tragico maxime cavendum Aristoteles monet. Quin ut invidiam etiam in absentem lenirem, potiorem culpam non in Michaelem, sed ejus pellicem Fiumam conjeci, à qua & avum. & conjugem in Protasium concitatos Historicus docet. Occurrunt tamen aliqua in hac Tragœdia, quæ, quia ab Europæis moribus abhorrent, etsi ab Historia expressa, minus tamen verisimilia apparebunt: illud præcipuè, regem ad unicum Daifusamæ edictum sine prælio, sine ullius cæde regno exutum, capitis supplicium subiisse: sed meminisse spectatorem oportet, hæc non in nostro, sed altero Orbe in Japonia geri, ubi non eadem, quæ in Europa regum, & principum potentia, & conditio est Japonum nempe Dynastæ reges quidem vocantur sed precarium imperium tenent, tamdiu duntaxat, quamdiu summo Japonum Monarchæ placuerit, ad cujus jussum eâdem tristi submissione, qua Præfecti Turcici (Bassas vocant) laqueum collo inferunt, Japonum reguli ventrem sibi dissecant. Et Protasii

regis

regis quidem cædes tam repentina minùs verisimili repugnat, quòd in itinere, extra suum regnum, nil adversi suspicatus subitò non tam armis, quàm fraudibus oppressus proponatur. Ultimum tamen, & cruentum regis supplicium spectatorum oculis studiosè subduxi: non enim cum iis sentio, qui illam demum pulcherrimam Tragœdiam credunt, in qua ex resecto palam vertice erumpens unda sanguinis pavimentum, & tabulatum aspergit, aut truncata, & sparsa membra omnes theatri angulos cruentant. Abhorret jam à tali laniena sæculum nostrum, ad omnem humanitatem excultum, adde, quòd ejusmodi cruenta spectacula si quidem ad vivum repræsententur, nimium horrorem, sin minus apté, etiam risum pariant in tali scena minimè opportunum.

De scopo Tragœdiæ, Personarum Characteribus &c. cùm judicem, satis plana omnia, & superiùs multa de iis differuerim, hîc plura non addo, neque Lectoris patientiam ausim diutiùs fatigare.

